DE

TRAGICA AMBIGUITATE

APUD EURIPIDEM

DE

TRAGICA AMBIGUITATE

APUD EURIPIDEM.

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

Paulus MASQUERAY

In Facultate litterarum Burdigalensi colloquiis praepositus.

PARISIIS

APUD C. KLINCKSIECK, BIBLIOPOLAM

11, RUE DE LILLE, 11

MDCCCLXXXXV

MEMORIAE

AEMILII MASQUERAY

QUI STUDIA MEA CONSILIIS ET EXEMPLO FOVIT

SACRUM.

PROOEMIUM.

Praecipua dicendi virtus, quae vocabatur apud Graecos σαφήνεια, claritas apud Latinos, hoc efficit ut in sententiis expressis lector plane eundem sensum inveniat, quem scriptor subjecerit. Reperiuntur tamen loci, quorum est significatio anceps. Tum quotiens utra sit eligenda nescis, peccatur, si hac obscure dicendi ratione auctor imprudenter erit usus. Itaque rhetores praeceperunt, ut respuerentur sententiae, quae vel in duos, vel in plures modos acciperentur. Sic e quinque virtutibus, quas Aristoteles docet prae omnibus esse necessarias, ambiguitatem vitare tertiam posuit[1]. Etenim non scribit quisquam, nisi ut intellegatur, quod is assequitur unus, qui sermonem subtilem et enucleatum adhibuerit.

Illa tamen ambiguitas ad quaedam opera apta esse videtur, ad tragoediam vero, nisi fallor, vel optime. Ceterum Aristoteles fatetur eam a quibusdam jure esse usurpatam, inter quos Empedoclem commemorat, qui verborum obscuritate vanitatem sententiarum nonnunquam dissimulavit. Saepe etiam vatibus eandem haud inutilem fuisse dicit, per ambages sortem edere solitis, ne eventus omini non conveniret. Sic illud oraculum refert, a Delphico Apolline olim Croeso, auctore Herodoto[2], datum, cum in Cyrum duceret exercitum. Nam hexametrum notissimum :

Κροῖσος Ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει,

necesse erat ob miram, quam continet, ambiguitatem rebus ipsis comprobari, sive Cyrum Croesus vinceret, sive contra ab eo vinceretur.

Saepe etiam talis dicendi ratio in usu cotidiano, sive mentis errore, sive consilio adhibetur, ut ipse Xenophon rem venustissime docuit, in libro quem *de Cyro instituendo* scripsit[3]. Nam cohortium dux quidam manipulum unum erudiebat. Et cum manipuli praefectum in primo loco statuisset, et post hunc strenuum quendam juvenem collocavisset,

1. *Rhet.*, III, 5, ed. Spengel : τρίτον μὴ ἀμφιβόλοις. Ταῦτα δέ, ἂν μὴ τἀναντία προαιρῆται. ὅπερ ποιοῦσιν ὅταν μηθὲν μὲν ἔχωσι λέγειν, προσποιῶνται δὲ τι λέγειν · οἱ γὰρ τοιοῦτοι ἐν ποιήσει λέγουσι ταῦτα, οἷον Ἐμπεδοκλῆς. κ. τ. λ.
2. I, 53, 91.
3. II, II, 6, 7.

ceterosque, quo quemque loco disponendum esse putaret, stans deinde ipse ab anteriore parte, manipulum jussit progredi : προϊέναι. Protinus juvenis ille progressus ante manipuli praefectum, prior incessit. Quod cum vidit is qui cohorti praeerat : « Quid agis, homo, ait? » — Cui miles : « Progredior, ut jussisti. » — Tum ille : « Atqui ego non te solum, sed omnes progredi jussi. » Quo audito, ad socios manipulares juvenis conversus : « Nonne auditis, inquit, eum objurgantem? Omnes progredi jubet : προϊέναι πάντας κελεύει. » Tum viri cuncti, praefectum manipuli praetergressi, ad cohortis ducem, perverse omnes hoc verbum προϊέναι interpretati, venerunt.

Sic subjectam in vocabulis duplicem significationem, quae in hac Xenophontis historiuncula risum lectoris movet, potuerunt scriptores in libros transferre, quorum primus inter omnes Homerus enumerandus est, praesertim in *Odyssea* τῇ ἀμφιβολίᾳ usus, ut Ulixis callidum et artificiosum ingenium depingeret[1]. Eandem vero ambiguitatem comici non neglexerunt, quae eis materiam ridendi prope infinitam praebuit[2], cum a tragicis scriptoribus ad severitatem artis accommodaretur. Quam cum in hoc libello inquirere voluerimus, haec nobis prius dicere liceat, quo facilius a lectore intellegatur, quomodo apud Euripidem haud ita raro reperiatur.

Cum stat in proscenio persona, quae partes vel primas, vel secundas agit, poetae primis e verbis curaverunt, ut nomine appellaretur[3]. Non enim e vestitu, quo induebatur, satis perspiciebant spectatores, quisnam induceretur. Is ergo se ipse vixdum ingressus nominabat, vel ab aliis nominabatur. Quod in veterrimis tragoediis deprehenditur, quae nobis traditae sunt. Nam in *Persis* chori princeps, cum in orchestram undecim socios ducit, hos ad tibiam recitat anapaestos :

Τάδε μὲν Περσῶν τῶν οἰχομένων
Ἑλλάδ' ἐς αἶαν πιστὰ καλεῖται[4].

Ubi vero τῆς παρόδου finem omnes fecerunt, incedit in scenam Atossa. Cum neque veste, neque ornatu satis significaretur Darii uxorem adesse, eam introeuntem chori princeps sic compellabat :

Ὦ βαθυζώνων ἄνασσα Περσίδων ὑπερτάτη
μῆτερ ἡ Ξέρξου γεραιά, χαῖρε, Δαρείου γύναι[5].

1. Vulgatae notitiae est nomen οὖτις, quo vir ille versutus sese appellari dixit, ut e manu ac potestate Cyclopis aufugeret. Cf. *Odyss.*, IX, 366, 9, 408, 410. Quod Euripidem satis constat ab Homero esse mutuatum. Cf. *Cycl.*, 672 sqq.

2. Cf. Car. Holzinger, *De verborum lusu apud Aristophanem*. Programm der Theresianischen Akademie in Wien. 1876. — Fr. Reinh. Fromann, *De ambiguorum in Aristophanis comoediis usu*. Programm der städt. Gymn. zu Danzig, 1879.

3. Cf. E. Hiller, *Hermes*, VIII, 442 ; Wilamowitz von Moellendorf, *Analecta Euripidea*, p. 199 sqq.

4. *Pers.*, 1, 2.

5. *Pers.*, 155, 6.

Item Sophocles, cum *Oedipum tyrannum* induceret, dedit operam ut fabulam omnes facillime animo comprehenderent. Sic enim cives, ineunte tragoedia, rex alloquitur :

Ὦ τέκνα, Κάδμου τοῦ πάλαι νέα τροφή[1],

unde rem Thebis agi Athenienses accipiebant. Ab octavo autem trimetro jam docebantur loqui Oedipum, qui se ipse ita appellabat :

Ὁ πᾶσι κλεινὸς Οἰδίπους καλούμενος.

Sacerdos vero, ne quem forte iambi fefellissent, nomen regis haud multo post referebat :

Ἀλλ' ὦ κρατύνων Οἰδίπους χώρας ἐμῆς[2]...

Euripides ipse a Sophocleo more non deflexit, nisi quod magnam simplicitatem sectatus est, quam in prologis existimare licet aequo majorem fuisse. Omnes enim, qui personam in ejus fabulis induunt, nihil antiquius habent, quam se ipsos, saepius una versus conformatione usos, suo nomine indicare, ut in *Troadibus* Neptunus :

Ἥκω λιπὼν Αἰγαῖον ἁλμυρὸν βάθος
πόντου Ποσειδῶν[3].....

Sic Polydorus in *Hecuba* similiter fabulam incipit :

Ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας
λιπών, ἵν' Ἅιδης χωρὶς ᾤκισται θεῶν,
Πολύδωρος Ἑκάβης παῖς[4].....

et Dionysus in *Bacchis :*

Ἥκω Διὸς παῖς τήνδε Θηβαίων χθόνα
Διόνυσος[5].....

Apud Graecos enim tragicus poeta cum frequentissima hominum turba in theatro Dionysi agebat, quos necesse erat, nulla interposita mora, quid in scena promeretur, intellegere. Ideo solebant narrare personae, nomine et origine vix evulgatis, unde venirent, quid animo agitarent, quo res ab initio omnibus fieret illustrior.

Ceterum Athenienses scimus a puerili aetate fabularum argumentis assuevisse, quae sive ex Homero, sive ex Hesiodo, sive e scriptoribus

1. *Œd. R.*, 1.
2. *Œd. R.*, 14.
3. *Troad.*, 1, 2. *Semel moneo me Teubneriana Nauckii editione (1887) in dinumerandis versibus uti.*
4. *Hec.*, 1, sqq.
5. *Bacch.*, 1. 2.

cyclicis plerumque sumebantur[1]. Saepe etiam produci rursus videbant, quae jam ante ab aliis producta erant, ut qui anni 431 spectaculis aderant, vix primis *Medeae* iambis, quam scripsit Euripides, editis, continuo fabulam a Neophrone paulo ante doctam in memoriam revocaverunt.

Inde omnes, ubi personarum nomen audiverant, quid eis esset eventurum, quae facinora patraturae, cui morti essent reservatae praevidebant. Rem planissime testatur Antiphanes[2]:

...Μακάριόν ἐστιν ἡ τραγῳδία
ποίημα κατὰ πάντ', εἴ γε πρῶτον οἱ λόγοι
ὑπὸ τῶν θεατῶν εἰσιν ἐγνωρισμένοι,
πρίν καί τιν' εἰπεῖν· ὡς ὑπομνῆσαι μόνον
δεῖ τὸν ποιητήν· Οἰδίπουν γὰρ ἂν μόνον
φῶ, τἄλλα πάντ' ἴσασιν· ὁ πατὴρ Λάϊος
μήτηρ Ἰοκάστη, θυγατέρες, παῖδες τίνες,
τί πείσεθ' οὗτος, τί πεποίηκεν. ἂν πάλιν
εἴπῃ τις Ἀλκμαίωνα, καὶ τὰ παιδία
πάντ' εὐθὺς εἴρηχ'. ὅτι μανεὶς ἀπέκτονεν
τὴν μητέρ' ἀγανακτῶν δ' Ἄδραστος εὐθέως
ἥξει πάλιν τ' ἄπεισιν.....

Credo equidem nullo alio testimonio opinionem meam melius comprobari posse, ut dicere non dubitem Graecos, antequam rem spectaverint, quid spectaturi essent pernovisse. At enim poetae vel indole propria, vel aequalium moribus impulsi fabulas ipsas nonnunquam commutaverunt: quod fatentur omnes, qui vel semel legerunt tragicos. Peculiarem vero et quasi insitam personae naturam retinere, et intactam exprimere semper debuerunt, qualis jam a ceteris antea ficta erat. Nam si infitiari nemo potest Orestem longe alium esse, sive in Aeschylo, sive in Sophocle, sive in Euripide cum inspexeris, facile tamen concedes, ut opinor, semper in scenam eum esse inductum, qui poenam, caeso patre, a scelerata matre repeteret.

Inde arbitror tragoediarum spectatores multo magis quam personas ipsas, res quae in scena promerentur, saepius esse doctos, cum jam pleraque fabularum argumenta in scholis didicissent, dum contra personae id tantum quod jam in theatro actum audivissent, scire existimabantur. Quod cum hoc opusculum nobis incipientibus maximi sit momenti, nonnullis exemplis illustrandum et comprobandum est.

Constat in *Agamemnone* regem ignorare, cum in aedes victor redit, quae sibi pericula intendantur. Uxor enim virum salutat, fidelitatemque suam praedicat, quamvis ejus necem in animo jam statuerit.

1. Cf. Paul Girard, *L'Éducation athénienne au Ve et au IVe siècle avant J.-C.* Paris, 1889, p. 139 sqq.

2. Kock, *Comicorum atticorum fragmenta*, II, pars prior, p. 90.

Ideo cum is domus limen intrat, prope inferorum portam subit. Res vero jamdudum toti theatro pervulgatae : jamdudum Clytaemnestram acceperant omnes morti conjugem destinare.

Sic *Oedipi Regis* spectatores, priusquam actores unam edidissent syllabam, tyrannum pro certo habebant Laium patrem occidisse, matrem duxisse, et fratrem esse liberorum.

Quo probe stabilito et fixo, haec est tragicorum consuetudo, utique Euripidis, cui attentissime in hoc libello studuimus. Cum rerum cognitio, quas in fabulis produxit, personis ac spectatoribus non eadem esset, actores suos ita loqui saepe voluit, ut verba tam apte huic rerum habitui convehirent, quem ignorare haberentur, quam ad illum, in quo se versari falso ducerent. His igitur imprudenter dictis una significatio subit, quam soli spectatores discernebant, dum percipiebant alteram simul et personae et spectatores.

Contingit etiam ut hujus referat aliquid illi dissimulare, sive insidias, sive mortem paraverit. Tum prior conscia mente versus usurpat, quos dupliciter intellegere licet. Posterior vero sensum unum et simplicem in eis subjici arbitratur, alterum subesse non suspicatus, quem sua multum discernere interesset, cum rursus spectatores, ut actor ipse, qui astute locutus est, unum et alterum similiter animo comprehenderent. Ceterum, ne res forsitan sit obscurior, notissima utriusque ambiguitatis exempla statim proferre voluimus.

Sciebant omnes Athenienses, ut supra dictum est, priusquam fabula ad exitum perduceretur, Oedipum, necato patre, liberos e matre Iocasta genuisse. Ideo, cum nuntio, ubi sit regina, interroganti, chori princeps respondet :

Γυνὴ δὲ μήτηρ ἥδε τῶν κείνου τέκνων[1].

credimus consilio nomina γυνὴ δὲ μήτηρ ita conjuncta esse, ut omnes intellegerent eam adesse, quae simul et uxor et mater Oedipi liberos peperisset[2], quanquam in eadem vocabulorum conjunctione nihil funesti inesse coryphaeus ipse suspicabatur.

Contra in Euripidis *Electra*, postquam nuntiatum est Aegisthum in rustica agricolae domo insidiis interemptum, virgo, matre jam portam subeunte, sic loquitur :

Φρονεῖ μέγ᾽· ἐν γὰρ τοῖς ἐμοῖς ναίει δόμοις[3].

1. *Œd. R.*, 928. — Cf. Arnold Hug. *Der Doppelsinn in Sophokles Œdipus König*. Philologus, XXXI, p. 66-84.

2. Hoc idem sensit Nauckius, qui locum in editione sua ita vertit et explanavit : « Dies Weib ist die Mutter seiner Kinder. » Sowohl der umschreibende Ausdruck für Gattin als die Wortstellung mahnen den Kundigen an die noch unenthüllte Beziehung des Oidipus zu Iokaste.

3. Eurip., *Elect.*, 1120. Cf. *infra* p. 39.

· Ea est altera ambiguitas, quam prudenter persona una adhibet, cum Clytaemnestra non sentiat filiam morti Aegisthi intra parietes jacentis alludere.

Ceterum antiquiores critici hanc tragicorum scriptorum dicendi rationem jampridem animadverterunt; non quod eam quotiens usurparetur, indixerint, sed quod illud permagni referre arbitrabamur, ut opinio nostra eorum testimonio nonnunquam confirmaretur. Nullo enim pacto infitiari possis eos saepius rem acu tetigisse. Idcirco maximam curam et diligentiam adhibuimus in scholiis, nuper ab E. Schwartz editis [1], quæ nobis de novem Euripidis fabulis pervenerunt.

Recentiores quidem rem intactam non liquerunt. Nonnulli enim de hoc styli artificio apud Aeschylum ac Sophoclem praesertim in Germania scripserunt [2]. Cum neminem noverimus, qui rem in Euripide investigaverit, opus, quamvis esset magni laboris, aggressi sumus. Septem enim ac decem hujusce poetae tragoediae, *Cyclope* ac *Rheso* exceptis, nobis traditae sunt, quas perlegere et attentissime excutere, multos dies postulavit [3].

1. *Scholia in Euripidem collegit recensuit edidit* Eduardus Schwartz. Vol. II. Berolini. 1887-1891.

2. *Die Amphibolie bei Aeschylos und Sophokles*, von Jos. Pokorny. Programm des K. K. Real-und Ober-Gymnasiums zu Ung. Hradisch in Mähren. 1883, 4 (37 p.). 1884, 5 (46 p.).

3. Ordinem, cum singulis fabulis studuimus, secuti sumus, quem nosmetipsi in nostro libro *de arte lyrica apud tragicos* scripto, probabiliter definivimus.

CAPUT I. — DE ALCESTIDE.

Fabula *Alcestidis* quanquam nobis prima pervenit omnium quas composuit Euripides, tamen multum abest ut nullam prius ediderit. Quem satis constat, cum ludis anni 438 *Alcestis* doceretur, circiter duos et quadraginta annos natum rebus scenicis jam studuisse abhinc annos septem et decem, et in ea aetate fuisse, in qua corpus robore, vigore ingenium frui maxime soleant.

Illud autem opus in quo saepius optima quaeque rebus minus bonis nonnulli existimaverunt eum inquinavisse, cum nullo alio aut cujusvis, aut ejusdem scriptoris comparandum est, quia locum satyrici dramatis ἐν τῇ τετραλογίᾳ obtinebat. Inde tragicae severitati nonnunquam repugnat, cum Herculis edacitas moveat risum, et mortis metus, quem Admetus ac Pheres tam ingenue prae se ferunt, haud facile cothurni majestati respondeat. Ideo si forte dixerit Sophocles, quod quidem traditum est, Euripidem homines depinxisse quales essent, non quales esse deberent [1], hac ipsa fabula oportet concedas illam opinionem optime esse confirmatam.

Sic altercatio, quae inter regem et patrem ejus adoritur, non potest poetae sine magna quidem injuria crimini dari. Rectissime enim animadvertit H. Weilius [2] patris ac filii mores moribus satyrorum haud ita esse dissimiles. Voluit enim Euripides ostendere quam penitus in corde humano vivendi cupiditas insita esset. Hoc consilio patrem et filium in scenam produxit, quorum indolem tam ingenue expressit, ut ipsi suae ignaviae non conscii videantur fuisse. Satyros autem vita ac deliciae, quas secum fert, oblectant et alliciunt, ut dolorem ac mortem oderint et effugiant, quae omnium rerum a natura ipsa maxime abhorreant.

Haec hactenus. Neque enim sperare possis ambiguitatem, quam ars sola poetarum protulit, in his locis inveniri, ubi personarum mores cum natura ipsa tam apte congruunt. Ei contra qui vel semel fabulam legerit, patet hanc dicendi rationem in secundo ἐπεισοδίῳ inesse, et in ea tragoediae parte, quam ἔξοδον Graeci vocabant. Anceps enim verborum significatio in dialogo actorum adhiberi solet, quorum alterius refert, sive ea, sive illa de causa, alterum in errorem inducere. Quod evenit, cum Admetus Herculem celat se Alcestidis mortem dolere, et

1. Cf. Arist., *Poet.*, c. 25, p. 1460, *b*, 33.
2. *Alceste*, Paris, 1891, p. 4.

cum deus ex Orco velatam uxorem viro committit, qui eam primo aspectu non agnoscit.

Nam Hercules, ubi Admetum vidit tonso esse capillo, causam luctus sciscitatur. Rex vero suspicatus heroem adesse, ut hospitio fruatur, timet ne tecto recipi nolit, modo si uxorem obiisse audierit. Itaque sermonis ambiguitate, ne aperte mentiatur, veritatem in hoc colloquio obumbrat [1]. Existimamus quidem poetam in eo loco nimia quadam subtilitate usum, quae res eo magis reprehendenda videtur, quo erat inutilior. Multum enim abest, ut Hercules, qua est ingenii tarditate, eas argutias et captiones discutiat.

Cum is igitur Pheraeorum regem interrogat, num Alcestis mortua sit, tum vir ait sese dupliciter respondere posse. Tum Hercules : « Quid istuc verbi est? inquit, significasne eam defunctam esse, necne? » Cui ille :

Ἔστιν τε κοὐκέτ' ἔστιν, ἀλγύνει δέ με [2].

Fatetur quidem, quod solis spectatoribus in promptu erat, exstare adhuc uxorem, cujus corpus nondum in rogo impositum sit, et jam quidem non vivere, cum morti occubuerit. Hercules vero, qui nescit quid sibi velit hospes, monet se nihil inde profecisse. Tum rex : « Ignorasne, inquit, sortem cui obnoxia sit? » — Cui Hercules : « Scio eam pro tua vitam devovisse. » — Respondet Pheretis filius : « Quomodo igitur vivit adhuc, si hoc praetulerit? » Graece :

Πῶς οὖν ἔτ' ἔστιν, εἴπερ ᾔνεσεν τάδε [3];

Haud dubium est, quin rem parum lucide ita denuntiet, ut deus illud dici arbitretur : « Quomodo eam, quae pro me mortem suscepit, jure dicas adhuc vivere, etiamsi vivat? » Itaque : « Ne ante diem, ait, eam luxeris, usque ad mortem exspecta. »

Versus, qui sequitur, difficillimus esse videtur. Respondet enim Admetus :

Τέθνηκ' ὁ μέλλων χὠ θανὼν οὐκ ἔστ' ἔτι [4].

Nemo nescit Graecos libros interpungere non solitos. Quod scire cum necesse est, qui in eo loco Euripidis artificium vult compertum habere. Is enim trimeter duplicem sensum habet, si morem interpungendi recentiorum secutus, sive post τέθνηκεν cum H. Weilio, sive cum Nauckio post μέλλων recitando interquieveris. Ceterum actorem verisimile est versum uno tenore in theatro edidisse.

Nam Hercules affirmari ducit hunc quem mors maneat non magis vivere, quam illum, quem jam rapuerit, cum is qui obiturus sit, jam

1. Cf. G. Hermannum apud Pflugk-Klotz, ad v. 531.
2. *Alc.*, 521. Cf. *Hel.*, 138.
3. *Ibidem*, 525.
4. *Ibidem*, 527. *Laurentianum* sequimur cum H. Weilio.

ei similis sit, qui obierit. Is igitur versum more nostro ita interpungeret :

Τέθνηχ' · ὁ μέλλων χὠ θανὼν οὐκ ἔστ' ἔτι.

Regem vero credimus eisdem verbis fateri uxorem vita defunctam, cum versus, modo si scripseris :

Τέθνηχ' ὁ μέλλων, χὠ θανὼν οὐκ ἔστ' ἔτι.

significet hominem (Admetum scilicet, vel Alcestim, quae pro viro se devovit), decessisse, qui moriturus erat, cum jam non sit, qui occubuerit.

Unam tantum hujusce trimetri significationem Hercules assequitur, dum alteram non discernit. Inde, cum regi mortem futuram ac praesentem vitam inter se differre neganti non consentiat, in diversa opinione versantur ambo, ut ipse rex testatur.

Veniam, credo, facile dabis, si in ea occasione deus, cujus ingenium acumine non nimis enitet, tot et tam obscuris ambagibus tam vehementer disturbatur, ut jam nihil in colloquio intellegens, a rege quaerat, cur lugeat, quemve amicorum amiserit. Tum is ait se de morte mulieris dolere, cum de nulla alia mentionem hactenus fecerit[1]. Hoc vero nomen γυνή, cujus vis duplex est, cum mulier et uxor graece γυνή simul appellentur, rursus non sentit Hercules fallaciter usurpari.

Jam quod sequitur, subobscurum est, non anceps. Alcestis enim ὀθνεῖος regi erat, cum ex alia gente, e parentibus aliis orta esset ; ubi autem a viro ducta erat, ἀναγκαία facta, mortuo patre, ὠρφανεύετο in aedibus Admeti.

In toto igitur colloquio Herculi ne semel quidem succurrit regem de uxore loqui. Ut enim in *Ranis* apud Aristophanem strenuus helluo est, ita in hac tragoedia bonitatis quidem divinae vim et efficacitatem retinuit, animi vero perspicacitatem ac prudentiam fere omnino exuit. Heroem illum quem agentem nobis proposuit noster, non tam excelsum finxit et ingenii acumine insignem quam vulgarem et tanquam e foro et communi vita traductum. Magis ergo in hominum quam in deorum numero collocandus esse videtur, neque ullo pacto G. Hermanno assentiri possum[2], qui judicat Hercule illo vix quicquam divinius a poeta nostro esse excogitatum,

Nunc ad scenam plane admirabilem venio, quae ἐν τῇ ἐξόδῳ continetur[3]. Jam deus Admeti uxorem e manibus Mortis vi abstulit, quae, adoperto capite inducta, nullam vocem debet emittere[4], priusquam inferos deos piaculis placaverit, atque tertia dies eluxerit. Admetus

1. *Alc.*, 531.
2. Vide *Opuscula*, II, p. 318.
3. *Alc.*, 1006-1152.
4. Hac de causa, quanquam stant in λογείῳ tres personae, duobus tantum actoribus in tota tragoedia poeta uti potuit.

autem, cum uxor moreretur, juravit se nullam unquam aliam virginem ducturum, ne intra domus parietes quidem unquam ullam esse admissurum [1]. Inde cum Hercules feminam, quam dicit luctationis praemio sibi datam esse, Admeto committit, dum in Thracia Diomedis equos rapuerit, is muliebrem formam ne intuens quidem avertit faciem.

In eo loco, haec est poetae ratio, ut deus invicem obscure dictitet, quae sit mulier (γυνή), quam vir ne semel quidem suspicatur esse suam. Trimetri vero singuli explanentur non necesse est, cum artificium semper idem adhibeatur. Unum tantum attingam.

Postquam Admetus professus est se in suam domum hanc mulierem recipere nolle, quod, quotiens eam videat, uxorem sibi videre videatur, chorus respondet se hodiernam quidem fortunam laudare non posse. Dein subjicit, auctore Wecklenio, quem secutus est H. Weilius :

Χρὴ δ', ἥτις εἶσι, καρτερεῖν θεοῦ δόσιν [2].

De quo scholiastes : καρτερεῖν θεοῦ δόσιν· τὴν μοῖραν. τινὲς τὴν διδομένην γυναῖκα παρὰ Ἡρακλέους, οὐ καλῶς. Cui omnino assentiri nequeo. Neque enim vocabula θεοῦ δόσιν pro θεῶν δόσιν ponuntur, ut τὴν μοῖραν designent, neque regi chorus suadere potest, ut uxorem accipiat, utpote qui, Hercule consilium ineunte Alcestim ex Orco reducendi, e theatro ad exsequias cum viro exivisset [3]. Nescit igitur uxorem ipsam regis adesse. Sed cum hortatur Admetum, ne donum (δόσιν), quod soli spectatores uxoris esse sciebant, quantumcumque rei odium cepisse videtur, repudiet, vis eo major occultabatur in consilio, quo minus chori princeps, quid suaderet, ipse discernebat.

CAPUT II. — DE MEDEA.

In *Medea* Euripides summa arte mulieris indolem depinxit, quae a viro, quem amare nondum desiit, derelicta, sine auxilio, nullo juvante, poenam petit. Nam et uxori, quam duxit conjux, et socero perniciem simul affert, deinde quo major sit Iasonis dolor [4], manu liberos ipsa trucidat.

1. *Alc.*, 328 sqq.
2. *Ibidem*, 1071.
3. *Ibidem*, 741-6. Haec hypermetra recitavit coryphaeus, cum sociorum agmen duceret, Admeti comes.
4. *Med.*, 817, οὕτω γὰρ ἂν μάλιστα δηχθείη πόσις. Cf. 1398.

Videmus igitur in ea fabula artificiosam mulierem viro forti praestare. Saepius enim docuit noster, quanto nervis calliditas, artes viribus antecellerent. Neque enim vi, neque violentia, sed fraude ac dolo Medea Iasonem ulciscitur, cum iisdem mendaciis, quibus conjugi, quid sentiat, dissimulet, spectatoribus ipsis, ex ambiguitate quam continent, verum prodat.

Primum enim impetrare conatur, postquam Creon confirmavit eam exsilio multari[1], ut Corinthi maneat[2]. Omnes vero jam audiverunt eam ab Iasone et ab omni regis familia poenam sumere velle[3]. Inde, cum testatur se nihil infensi contra Creontem moliri, tum in ejusmodi oratione nihil nisi falsum esse comperiunt. Ubi vero contendit regem, Creusa Iasoni uxore data, nihil injusti unquam fecisse, jam dubitant utrum vere et aperte loquatur, necne. Hoc autem versu vix recitato :

Καὶ νῦν τὸ μὲν σὸν οὐ φθονῶ καλῶς ἔχειν[4],

tum demum non ambigitur, quin ea quae prius dixerit, malitiose protulerit. Nam, cum praevideat felicitatem, qua rex hodie fruitur, brevem fore, callide affirmat se ei non invidere. Id quidem Creontem non fugit, qui respondet se minus ejus verbis quam prius confidere.

Vix autem sensit mulier regem Corinthi permanendi licentiam non daturum, cum eum ut moram saltem exsilio afferat, his verbis precatur :

Μίαν με μεῖναι τήνδ' ἔασον ἡμέραν
καὶ ξυμπεράναι φροντίδ' ᾗ φευξούμεθα,
παισίν τ' ἀφορμὴν τοῖς ἐμοῖς[5]...

Is arbitratur matrem hunc unum diem requirere, ut secum reputet quem in locum, ex urbe egressa, natos sit ductura salvos et incolumes. Verba vero ξυμπεράναι φροντίδ' ᾗ φευξούμεθα aliquid obscurius praebent. Jam suspicio in mente exoritur de insidiis quas comparabit nostra. Quod sequitur, cum liberos occidendi consilium jamdudum inierit, mortis imaginem in mentem injicit, quam scimus miseris perfugium ac portum fore.

Jam vero in secundo ἐπεισοδίῳ[6] uxor ira accensa viro dat crimini nequitiam. Quandiu enim speravit se Iasonem ad pristinam fidem reducturam, minis abstinuit. Vix autem comperit se frustra operam

1. *Med.*, 271 sqq.
2. *Ibidem*, 313 sqq.
3. *Ibidem*, 114, 163 sq., 260 sq., 267.
4. *Ibidem*, 312.
5. *Ibid.*, 340 sqq. De ejusdem consonantis iteratione, cf. *Med.*, 365. 476 ; *Ip. Taur.*, 766. — Idem artificium apud Sophoclem invenire est. Cf. *Ajac.*, 1112 ; *Ant.*, 101 ; *Elect.*, 210, 234, 295, 504 ; *Oed. R.*, 369. — Credendum est igitur tragicos quosdam consonantes (praesertim π, σ, τ) consilio accumulavisse, quo vim majorem expressis darent sententiis. Licet enim plura exempla referre, quorum ipsum Aristophanem constat jam nonnulla in Euripidis fabulis notavisse.
6. *Med.*, 446-626.

insumere, cum eum jubet virginem ducere, quam, juvante deo, forsitan duxisse eum paenitebit :

> Νύμφευ'· ἴσως γάρ, σὺν θεῷ δ' εἰρήσεται,
> γαμεῖς τοιοῦτον ὥστε σ' ἀρνεῖσθαι γάμον [1].

Magis tamen aperte in eo loco loquitur, quam ut eam Iason praesens exaudiverit [2].

Ubi vero asseveravit mulier sibi viri nuptias probari, mirabile esset si ancipitem sermonis potestatem neglegeret. Ea est enim tragicorum consuetudo, Euripidis in primis, ut hac dicendi oratione utantur, cui studeo. quotiens actor unus, in malam fraudem alterum illiciendi causa, vultum ad dissimulationem componit. Hanc autem duplicem verborum significationem percipiunt spectatores atque is ipse qui dolum molitur, alter vero alteram.

Sic Medea, postquam Iasoni affirmavit, si quid inclementius in eum sit invecta, se iracundiam repudiare, timet ne vir verbis parum confidat. Itaque more eorum, qui simulata mente loquuntur, animi affectus, ne non credatur, aequo meliores ac benigniores esse effingit, ut vix, nimia fidei faciendae cupiditate, fidem faciat. Namque : « Nunc demum tibi, ait, assentior, conjux ; sapere enim, nova uxore ducta, mihi videris. Ego vero desipiebam, cum eadem quae tu consilia habere. te juvare, ad lectum stare, uxori laeto animo praestare officia debuissem. »

> ..... Ἐγὼ δ' ἄφρων,
> ἢ χρῆν μετεῖναι τῶνδε τῶν βουλευμάτων
> καὶ ξυμπεραίνειν, καὶ παρεστάναι λέχει,
> νύμφην τε κηδεύουσαν ἥδεσθαι σέθεν [3].

Huic autem verbo κηδεύειν, quo perfide sententiam absolvit, nemo nescit vim ancipitem subesse [4], ut re vera contendat futurum esse ut gaudeat, si stet ad libitinam Creusae, honoresque solitos solvat. cum conjux eandem eisdem verbis affirmare existimet fore ut haud invita virgini die nuptiali officia praestet.

Quanquam dixit se suam mentem ad meliora adduxisse. fides tamen est suspecta. Itaque ut ex animo viri haesitantis dubitationem expellat, natos ex aedibus foras evocat [5]. Vix vero adstant, cum materno amore paulisper frangitur, postquam dextram apprehende-

1. *Md.*, 625, 6.

2. Is enim ad v. 623 e theatro jam exiverat. — Similiter apud Racinium nostrum Hermiona, cum scena ad finem perducitur, mortem Pyrrho per ambages minitatur :

> Porte aux pieds des autels ce cœur qui m'abandonne,
> Va, cours, mais crains encor d'y trouver Hermione.
>
> Andromaque, 1385, 6.

3. *Ibidem*, 885 sqq.

4. Cf. Soph. *Elect.*, 1141 ; *Rhes.*, 983.

5. Cf. 894 sqq.

runt, quos proximae morti addixit. Dolorem ergo quo perfunditur animus, verbis exprimit, quae obscurius profert, quam ut ab Iasone penitus intellegantur :

> .....Οἴμοι, κακῶν
> ὡς ἐννοοῦμαι δή τι τῶν κεκρυμμένων.
> ἆρ', ὦ τέκν', οὕτω καὶ πολὺν ζῶντες χρόνον
> φίλην ὀρέξετ' ὠλένην [1] ;

Nam primum καθ' ἑαυτήν loquitur, ut rectissime monuit scholiastes. Versus autem 890, 1, quibus morti alludit, qua suos opprimere decrevit, ducit Iason Medeam edere, timentem ne non liberi diu vivant, quod quidem timent omnes, quae natos semel pepererunt.

Ubi vero liberos jussit mater ad Creusam vestem ac coronam deferre, quas sperat ei exitio fore, orationem ita absolvit :

> ...Οὔτοι δῶρα μεμπτὰ δέξεται [2],

quod rectissime interpretatus est scholiastes[3]. Dona enim Medea et Iason non esse contemnenda ducunt, is, quod maximi sint pretii, illa, quod vim efficacem habitura sint, ut veneno Creusam interimant. In eo consilio vult de manu in manum tradantur, ut pueruli, re ex sententia gesta, redeant ac nuntient fortunam optatis ejus respondisse.

Nunc ad ἔξοδον fabulae veniendum est[4]. Primum paedagogus matrem certiorem facit, donis captam reginam postulationi concessisse, ac filios in exsilium non ituros. Quo audito, gemitum edit illa[5], cujus causam senex sciscitatur. Tunc sententiae conformatione usa, quae tam frequenter apud tragicos invenitur, quotiens quid sentiant personae aperire gravantur, respondet :

> Ἤγγειλας οἷ' ἤγγειλας· οὐ σὲ μέμφομαι [6].

Id autem seni non satisfacit. Rursus ergo eam interrogat. Responsum vero obscura ambiguitate impletur, de qua jam nihil attinet in hoc loco loqui. Versus contra 1116 notandus. Nam postquam jussit servus dominam confidere se aliquando a liberis Corinthum reductum iri, illa ita spem reditus refellit :

> Ἄλλους κατάξω πρόσθεν ἡ τάλαιν' ἐγώ [7].

1. *Med.*, 899-902.
2. *Ibidem.*, 958.
3. Τοῦτο διπλῆν ἔχει τὴν ἔννοιαν, μίαν μὲν ἣν ὁ Ἰάσων ἐκδέχεται, ὅτι οὐκ ἀπόβλητα αὐτῇ τὰ δῶρα, ἀλλὰ θαυμαστά· ἑτέραν δὲ, ἣν αὐτὴ κρύπτει, ἀντὶ τοῦ· οὐ γελάσει τὸ δῶρον ὡς ἀσθενές· ἀναιρήσει γὰρ αὐτήν. — A. B.
4. 1002-1419.
5. *Med.*, 1006.
6. *Ibidem*, 1011.
7. *Ibidem*, 1016.

Vim totam trimetri jure in vocabulo κατάξω posueris, cum κατάγειν τινά sive ad Orcum aliquem deducere, sive reducere in patriam exsulem[1] latine dicatur. Vix autem operae pretium est animadvertere tantummodo hanc alteram significationem vocabulo senem subjici existimare.

Postquam is e scena exiit, stat sola cum liberis mater. Nostro quidem proposito alienum est praestantissimae scriptoris arti studere, qua finxit Medeam secum deliberare, utrum filios occidat, an non. Sic vero eam Euripides loqui voluit, ut nunquam mortem sibi subeundam esse suspicentur. Quotiens enim hanc attingit mater, curat ut nati arbitrari possint de discessu mentionem fieri, cum Athenas ipsa itura, illi contra Corinthi permansuri sint. Versus igitur 1062, 3, delendi. In his vero qui sequuntur :

> Ὑμεῖς δὲ μητέρ' οὐκέτ' ὄμμασιν φίλοις
> ὄψεσθ', ἐς ἄλλο σχῆμ' ἀποστάντες βίου[2].

vox βίου sive cum ἀποστάντες, sive cum σχῆμα est jungenda, ut si e participio pendat, idem dicatur quod in *Hippolyto*, 277, si contra e substantivo nomine, haec mutata vivendi condicio commemoretur, quam liberi, matre profecta, in aedibus novercae sint habituri.

Aequo igitur animo stabant ambo in λογείῳ, dum Medeae animus turbidis concitatisque motibus vehementer confundebatur. Tranquillitas, qua fruebantur, illius perturbationi maxime contraria erat. Sic Atheniensium oculis miserabile, ac plane tragoedia dignum spectaculum proponebatur.

CAPUT III. — DE ANDROMACHA.

Non est quod multa de *Andromacha*, tragoedia minus laudanda dicamus, quia nullos locos in ea reperimus, ubi duplex insit significatio. Nam cum Hermiona Andromacham monet se rationem excogitavisse, qua eam ex ara sit ereptura[3], consulto loquitur obscure, non ambigue. Alludit enim huic mendacio, quo ei nati vitam promittit salvam fore, si se devoverit, dum contra, ubi aram deseruit, simul et filium et matrem occidere conatur.

1. Cf. *Odyss.*, XI, 164. *Thucyd.*, I, 111, 1.
2. *Ibidem.*, 1038, 9.
3. *Androm.*, 262 sqq.

Non autem jure contenderis Orestem artificiosa dicendi ratione uti, cum Hermionae Neoptolemum a se necatum iri nuntiat. « Ne virum timueris, inquit; mors enim jam ei imminet, cum eae sint insidiae, quas in eum struxerim, ut nullo pacto hos letales laqueos vitare possit[1]. » Alium enim habemus locum, ubi quae sunt futura praesagire Euripides personas voluit, quo magis spectatorum animos, exspectatione rerum quas audiebant, stimularet. Mirabile tamen est Hermionam consilium neque approbare, neque reprehendere. Scimus quidem ab ea virum parum amari, neque tamen illud eo valet, ut in hoc parum opportuno silentio poeta ab omni crimine expediatur.

CAPUT IV. — DE HERACLIDIS.

Fabulam dicas historiarum scriptorem edidisse, in qua nodus nullus sit, narratio contra majorem partem obtineat. Inde in ea, nihil quod ad rem nostram attineat, invenire est.

CAPUT V. — DE HIPPOLYTO.

Hippolytus, Thesei et Hippolytae filius, Cyprida contemnebat, quam dicebat esse dearum pessimam[2], cum contra Artemin coleret, μεγίστην δαιμόνων ἡγούμενος[3]. Curavit igitur Venus, cum iisdem motibus deorum afficiantur animi, atque hominum[4], ut juvenis ad perniciem, neglegentiae pretium, duceretur. Jamdiu comparata est ultio, et dies poenae expetendae illuxit. Phaedra enim, dum conjux, Pallantis filiis occisis[5], Trezenam exsul reliquit, Hippolyti delapsa est in amorem, qui non

1. *Androm.*, 995-7.
2. *Hipp.*, 13.
3. *Ibidem*, 16.
4. *Ibidem* 5 sqq. Cf. *Bacch.*, 321.
5. *Ibidem*, 35. Quandiu jam abfuerit, non dicitur, sed cum nullam reditui moram sit facturus, annum constat finem attingere.

multo post in furorem excidit. Is vero rem ignorat, cum nemo ad hanc diem aegritudinis causam elicuerit.

Venit regina, machina provecta, quam Graeci ἐκκύκλημα vocabant. Dum inducitur, anapaestos ad tibias chori princeps recitat[1]. Nutrix autem, quae Phaedram comitatur, cum temperatum amorem contendit immoderato esse anteponendum, verba ad dominam refert, quam nimis ipsa diligit, sed, quanquam ignorat, cur regina laboret, effecit noster ut versus iidem non minus recte in Phaedram caderent, Hippolyti amore flagrantem.

Contingit interdum, ut poetae consilio et voluntate, actor unus non recte intellegat, quid alter sibi velit. Quod bis deprehenditur in dialogo Phedrae ac nutricis. Nam postquam huic nihil processit, cum sciscitata est quid illa in imo pectore reconderet, addit matrem, si moriatur, temere liberos prodituram esse. Rem testatur per Amazonem, quae dominum filiis reginae peperit, Hippolytum. Nomine vix audito, Phaedra gemitum edit, quo fallitur anus, existimans eam dolorem suscipere, quod liberos ille sit e regno expulsurus, ubi e vita decesserit.

Item, paulo inferius, dominam interrogat, num morbum maleficiis quidam immiserit. Cui Phaedra :

Φίλος μ' ἀπόλλυσ' οὐχ ἑκοῦσαν οὐχ ἑκών[2].

Reipsa Hippolytum his tectis verbis designat misere a se amatum, dum vocabulum φίλος, quo maxime in errorem inducitur, ad Theseum nutrix injuria refert.

Nunc vero ad locum venio, de quo inter eruditissimos viros valde disputatum est. Nam amorem confessa, consilia nutricis assequi noluit Phaedra. Tum illa :

Τί σεμνομυθεῖς; οὐ λόγων εὐσχημόνων
δεῖ σ', ἀλλὰ τἀνδρὸς ὡς τάχος διιστέον[3].

Post τἀνδρός punctum in libris ponebatur, quod Nauckius[4] jure delevit, cum verba ὡς τάχος διιστέον non intellegerentur. De duobus autem his versibus scholia duo tradita sunt, cujus unum in M invenire est : οὐ χρεία ἐστὶν εὐσχημο[σύνης], ἀλλ' ἀνδρός, alterum vero in N. A. B. : ὡς τάχος διιστέον · διαγνωστέον, πειρατέον. ὁ δὲ νοῦς · ἀλλὰ πειρατέον τῆς γνώμης τοῦ Ἱππολύτου, ποῖος ἔσται πρὸς τὰ λεγόμενα.

Scimus primum vocabula τοῦ ἀνδρός, vel τὰ ἀνδρός, in quibus fit syl-

1. *Hipp.*, 170-5. Sic spectatores monet vim sequentis scenae maximam fore. Cf. *Agam.*, 782-809. *Oed. R.*, 1297-1306.
2. *Ibidem*, 319.
3. *Ibidem*, 490,1.
4. *Euripideische Studien*. Mémoires de l'Académie impériale de Saint-Pétersbourg. VII série, t. V, nº 6. Zweiter Theil. 1862. p. 16.

labarum coitus, similiter a Graecis τἀνδρός pronuntiata esse, quasi unum verbum expressissent. Quo igitur probe stabilito, uno scholio usi, quod unam tantum loci significationem indicit, non minus quam altero, quod contra alteram exponit, libenter Weckleniium assequemur, qui ita trimetros accuratissime transtulit : « Nicht der schönen Worte bedarf es, sondern des Mannes Sinn muss man erfahren. »

Neque tamen necesse est verbum δίοιδα judicemus, quod quidem contendit criticus, cum genetivo τοῦ ἀνδρός esse jungendum, non aliter ac si poeta πυνθάνομαι scripsisset. Actor enim τἀνδρός pronuntiabât, quod pro τὰ ἀνδρός usurpatum a solo δυστέον pendebat. Sententia vero tota callidissime conformata est, ut spectatores paulisper in incerto haberent, utra vis sub vocibus esset subjicienda, ut sī latine nutrix dixisset : « Non tibi speciosis verbis opus est, sed viro quid in mente sit, dijudicandum est. »

Ceterum ambiguitas e loco ipso quem vocabula in trimetris tenent, eo fit probabilior, quo noster, nominibus τἀνδρός et εὐσχημόνων usus, magis curavit, ut contraria contrariis opponeret. Dicit nutrix quod dicere difficillimum erat, neque, nostro tempore, quisquam vitio poetae vertere debet, quod pudorem offenderit, cum de hoc ipso pudore longe aliter ac nos veteres judicaverint.

Ubi Theseus, pio itinere perfecto, domum redit, nullus, qui eum salutet, fit ei obvius. Continuo veretur ne quid funesti Pittheo patri, annis confecto, acciderit. Chorus vero, postquam negavit, Phaedra jam mortua, senem occubuisse, hos iambos addit :

...Νέοι θανόντες ἀλγυνοῦσί σε [1].

De regina locutus, quae adhuc florente erat aetate, non intellegit, quod dicit, non minus in Hippolytum cadere, cujus pater, ob stuprum suppositum immeritamque poenam moerore conficietur.

CAPUT VI. — DE HECUBA.

Solent apud Euripidem, ut supra diximus, ad dolum et calliditatem confugere, qui, quod petunt, nulla alia agendi ratione possunt consequi. Porro quis unquam fuit illa Hecuba infelicior, quae olim, Priamo rege, Trojam obtinebat, nunc autem, postquam patria deleta,

1. *Hipp.*, 798.

conjux interfectus fuit, in servitutem cecidit[1]? Quid quod quinquaginta natorum mater[2], postquam singulos bello amisit, et Polyxena ipsa Achillis Manibus oblata est, duos tantum Cassandram et Polydorum incolumes servavit? Restat igitur filius unicus, unica spes, neque miramur si matrem, morte nati nuntiata, vox et vires repenet deficiunt[3]. Crescit autem paulatim in animo inexplebilis ultionis cupiditas, qua finxit eam Euripides totam flagrare, rerum veritatem diligenter imitatus.

Hanc tamen veritatem ipsam licet poetis aliquotiens offendere, dummodo ne ipsi spectatores offendantur. Nam postquam ancilla Polydori corpus invenit, maritimis fluctibus ad litus appulsum[4], cum, Hecuba jubente[5], aquam haustum ivisset, in scenam cadaver profertur, quo vixdum agnito, mater melicum carmen cum serva incipit. Chori vero princeps haud multo post Hecubam interrogat, quisnam natum occiderit[6]. Tum Polymestorem, cui Priamus filium commiserat, sine ulla dubitatione reum designat. Quo vero ex indicio sciverit eum ab hospite necatum, non dicitur. Accepimus quidem eam e nocturno visu de vita nati timorem concepisse; scimus vero nonnullis somniis in fabulis Euripidem usum, e quibus nihil veri praediceretur[7].

Absit tamen ut rem poetae demus crimini. Etenim cum in prologo, quem quidem non audivit Hecuba, nuntiaverit Polydorus se a Polymestore esse occisum[8], merito noluit noster rerum mentionem redintegrare, quae fuisset inutilis.

Item nonne videmus Hecubam ejusdem Polymestoris filios interimere, et regis ipsius oculos effodere, quanquam non dicit, cur in eum tanta crudelitate saeviat? Is tamen, nullo prius accusante, causam apud Agamemnonem defendit, auditque primum ex oratione Hecubae se jure ei culpam assignavisse. Hoc alterum habemus exemplum, in quo spectatores cum poeta tacite consentiunt, ne, quod jam per se clarum sit, amplius exponatur.

Ubi vero Hecuba licentiam impetravit poenam a nefario hospite repetendi, vel, quod verius dicetur, cum Agamemno reginae consilium non improbavit, tum sequitur illa scena, in qua matrem et Polymestorem colloquentes audimus. Nihil pulchrius, nostro quidem judicio, apud Euripidem legas. Polydori enim corpus, quod ancilla in theatrum attulerat[9], existimandum est in eodem loco velatum remansisse.

1. De hac infelicitate qua major nulla est, cf. *Hec.*, 423, 657 sqq., 783, 785, 811.
2. *Ibidem*, 421.
3. *Ibidem*, 683.
4. *Ibidem*, 701.
5. *Ibidem*, 609 sqq.
6. *Ibidem*, 708.
7. Cf. *Ip. Taur.*, 570, 1.
8. *Hec.*, 25 sqq.
9. *Ibidem*, 663.

Sic, corpore jacente, improba regis mendacia multo magis exsecrationem in spectatoribus concitabant, dum occupabant erectos eorum animos multo majore exspectatione matris ambiguae minae.

Rex primo, consuetudinem assecutus eorum, quos maleficii conscientia vexat, ait se ex casu reginae, cujus in se causa sit, magnum dolorem in animo concipere. Non vero fieri potest, quin in versibus :

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν πιστόν, οὔτ' εὐδοξία
οὔτ' αὖ καλῶς πράσσοντα μὴ πράξειν κακῶς[1],

de sorte Hecubae conscius, deque sua ipsius imprudens loquatur. Nam sententia, qualis est, οὐκ ἔστιν οὐδὲν πιστόν, tantum ad mulierem quae maxime inter omnes experta est fortunam esse mutabilem, quantum ad regem convenit, hospitem infidelissimum. Nomine autem εὐδοξία, si ad Hecubam contuleris, gloriae regiae alludetur, si contra ad Polymestorem, famae hospitis probi et honesti, quo se Priamus uti confisus erat. Constat etiam alterum versum tum ad Hecubam, quae e regno in servitutem cecidit, cum ad patrem spectare, qui occaecatus liberos e manibus trojanarum mulierum eripere non poterit. Placeret ergo ut prior horum versuum ita dupliciter verteretur : « Non est quicquam stabile, non ipsa gloria ; » vel : « Non est cui tu te credas, non honestati ipsi, — neque certum est felicem hominem in calamitatem non esse casurum. »

Nescimus quo jure R. Prinz, Dindorfium secutus, versus 970-5 damnaverit, quos contra H. Weilius recepit, cum viderit ipse scholiastes[2] in trimetris 968-73 Hecubam ita veritatem texisse, ut, postquam dixisset se regem intueri non posse, continuo negaret, ne quid veritatis ille suspicaretur, in eum esse animo averso.

Matrem deinceps audimus interrogantem, num natus adhuc vivat. Cui is : « Vivit, ait, quod ad eum pertinet, felix es. » Vix autem id respondens nihil nisi falsum dixit, cum exclamat Hecuba :

Ὦ φίλταθ', ὡς εὖ κἀξίως σέθεν λέγεις[3],

quae his verbis ἀξίως σέθεν affirmat regem ea ratione, qua dignus sit, locutum ; quod non sentit Polymestor, qui se a matre laudari ducit.

Quaerit deinde anus num salvum sit aurum, quod natus haberet, cum Trojam relinqueret. Cui hospes :

Σῶς, ἐν δόμοις γε τοῖς ἐμοῖς φρουρούμενος[4].

Latine : « Salvum est, in aedibus meis custoditum. » Restat vero parti-

1. *Hec.*, 956, 7.
2. Cf. Schwartz, *op. cit.*, vol. I, p. 76.
3. *Hec.*, 990.
4. *Ibidem*, 995.

cula γέ, cujus vim cum sit duplex, uno vocabulo latine non vertere possis[1]. Vir enim Thracius, qui sub ambagibus veritatem consilio obumbrat, ita respondet, ut intellegas intactum esse aurum, cum in aedibus ejus custoditum sit, in qua priore translatione enclitici significatio affirmantis est. Potest autem hoc ipsum vocabulum sensum alium significare, ut rex dicere existimetur, salvam esse pecuniam, quod ad eum attineat, quippe quam in aedibus seposuerit. Sic callide confitetur, se nummos a Polydoro vi arreptos non quidem exhausisse, sed intactos domi condidisse[2].

Eandem in versu 1000 dicendi rationem inveniamus necesse est, quae non legebatur quidem in libris, mirabili autem ingenii sagacitate a G. Hermanno restituta est[3]. Nam cum esset traditum :

Ἔστω φιληθεὶς ὡς σὺ νῦν ἐμοὶ φιλεῖ,

quod nullo pacto legenti satisfacit, collegit criticus errorem in ἔστω facere. Quam ob causam scripsit, quod omnibus probatum est :

Ἔστ', ὦ φιληθεὶς ὡς σὺ νῦν ἐμοὶ φιλεῖ.

Sententia quidem non absolvitur. Contingit enim saepius, cum στιχομυθοῦσιν personae, ut, uno tantum versu pronuntiato, sensus sit imperfectus[4]. Tum alter actor, interjecto trimetro, alterum continuo interrogabat, qui respondendo primi versus sententiam in tertio absolveret.

Postquam igitur Hecuba trimetrum 1000 edidit, cujus verbum ἔστιν subjecto caret, ita interrogatur a Polymestore, ut illud ἔστιν cum κατώρυχες (v. 1002) grammatice jungendum sit, ea figura quae Pindarica vocatur[5]. Legendum est enim, non aliter ac si distichon uno tenore recitaretur :

Ἔστ', ὦ φιληθεὶς ὡς σὺ νῦν ἐμοὶ φιλεῖ,
χρυσοῦ παλαιαὶ Πριαμιδῶν κατώρυχες[6].

Nemo jam non mente assequitur, quid sibi velit Hecuba, cum obscura et implicata loquendi ratione usa, cujus permulta alia exempla referri possunt, profitetur se hospitem odisse, nedum eum diligat[7].

In extrema scenae parte, regem hortatur ut in tentorium captivarum

1. Cf. Krüger, *Griech. Sprachlehre*, § 69,15.

2. Item versus 996,7 non minus ad res, quas jure Polymestor occupat, assignare potes, quam ad pecuniam, quam idem, occiso hospite, nefarie adeptus est.

3. In *Hecubae* recensione, quam Berolini, apud Weidmannos, anno 1831, edidit.

4. Cf. *Hec.*, 1259 sqq, 1271 sqq. — *Iphig. in Aul.*, 727 sqq. — *Iphig. Taur.*, 929 sqq., 1034 sqq. — *Med.*, 679 sqq. — Vide *infra* quod de versibus 713 sqq. *Herculis* scripsimus.

5. Σχῆμα Πινδαρικόν, quod constat praecipue cum verbis ἔστιν, ἦν, γίγνεται usurpatum esse. — Cf. Krüger, *op. cit.*, § 64, 4. 4.

6. *Hec.*, 1000, 1002.

7. *Supra*, p. 19.

introeat : « Res urget, ait, jam Graeci e litore naves solvunt ; ingredere,

> ὡς πάντα πράξας ὧν σε δεῖ, στείχῃς πάλιν
> ξὺν παισὶν οὗπερ τὸν ἐμὸν ᾤκισας γόνον [1].

Ille nullum in reginae verbis artificium dissimulari suspicatus, hanc existimat divitias dare auferendas, quas ipsa e Troja eversa surripuerit [2], ut sibi redeundum sit in Thraciam, ubi Polydorus versari credatur, dum contra mater eum jubet non sine ambagibus portam tentorii subire, ut meritam det poenam, et cum filiis conveniat, quo ipse Priami filium immiserit, scilicet in Tartarum.

CAPUT VII. — DE HERCULE.

In priore hujusce tragoediae parte, Lycus, postquam Amphitryoni, Megarae et liberis ejus irritas insidias paravit, Hercule opportune domum regresso, occiditur ; in altera autem, deus ipse, qui, Junone jubente, in insaniam incidit, liberos ac conjugem sagittis transfigit. Ubi vero Palladis auxilio resipuit, quidnam demens perpetraverit, ex Amphitryone audit. Tunc Theseus, qui *dei ex machina* partes in eo loco tuetur, idoneo tempore intervenit, ut, heroe secum Athenas ducto, finem tragoediae imponat.

Opus, quod Euripides scripsit, atticam fabulam in scenam Atheniensium reponendi causa, magis historico colore, ut sic dixerim, enitet, quam ut mihi suppeditet multum materiae. Hoc igitur silentio libenter praetermisissem, nisi nonnullos versus in initio tertii ἐπεισοδίου invenissem, notatione dignos.

Namque Lycus, vir mente stolidus, qualem in *Iphigenia Taurica* noster Thoanta expressit, vel in *Helena* Theoclymenon, consilium iniit liberos, patremque et conjugem absentis Herculis interficiendi. Nullus est, qui infelicibus, cum res in tanto sunt discrimine, auxilium afferat. Auctor igitur, fabulae producendae causa, finxit, quod quidem suspicionem quandam habet artificii, Megaram in hac rerum necessitate a tyranno licentiam petere liberos funebri veste exornandi, antequam moriantur. Quam cum impetravit, omnes in aedes redeunt.

Tunc ubi secundum στάσιμον [3] cani desitum est, Hercules subito

1. *Hec.*, 1021. 2.
2. *Ibidem*, 1012.
3. *Herc.*, 637-700.

redit, cum jam ad proximam necem uxor ac pater adducti sunt. Lycus vero, deo incedente, in regiam, ut res poscebat, abiit, sin aliter poetam oportuit quatuor personas simul in scenam producere, quod insolitum esse satis constat.

Cum res ita sese habeant, perfacile est augurare tyrannum ferae crudelitatis poenam sine ulla mora daturum. Stant enim in theatro Amphitryo ac Lycus. Hercules, cui inimicum coram populo interimere non licet, insidias in aedibus parat. Rex vero, dum queritur, haud immerito quidem, quod Megara adeo cunctetur, suspicatur eam fidem violare velle.

Jam versum 709 ab Amphitryone non sine quadam calliditate editur. Is enim, cum regi injurias quibus vexatur vitio dedit, hos iambos addit :

Ἃ χρῆν σε μετρίως, κεἰ κρατεῖς, σπουδὴν ἔχειν.

Nemo non sentit vim trimetri praecipuam in verbis κεἰ κρατεῖς dissimulari, utpote quae tantum significent : « Quanquam dominus meus es, » quantum : « eo dato, te esse dominum. » Quod quidem in ea occasione non concedebant spectatores, cum jamdudum conscii essent Herculem esse reversum.

Amphitryo igitur, qui jam malitiose loquitur, non tantum e mente, ut callidissime monuit Wilamowitz[1], terrorem omnem depulit, sed et animi sic compos est, ut vocabula, non sine quadam subtilitate iteret :

Ἐπεὶ δ' ἀνάγκην προστίθης ἡμῖν θανεῖν
στέργειν ἀνάγκη[2].

Quod satis indicat, eum, ut Lycum Herculi interficiendum in regiam intromittat, jam insidias instruere posse. In eo consilio fingit Megaram cum liberis ad aram suppliciter confugisse. Primum sic lente loquitur :

Δοκῶ μὲν αὐτήν, ὡς θύραθεν εἰκάσαι[3],

ut tarditatis impatiens eum interrumpat tyrannus :

Τί χρῆμα; δόξης τῆσδ' ἔχεις τεκμήριον[4];

Tum Amphitryo :

Ἱκέτιν πρὸς ἁγνοῖς ἑστίας θάσσειν βάθροις[5].

Sic quod interrogavit Lycus, ut reipsa lex diverbii, versu 714 pro-

1. *Euripides Herakles*, II, p. 185. Berlin. 1889.
2. *Herc.*, 710,1.
3. *Ibidem*, 713.
4. *Ibidem*, 714.
5. *Ibidem*, 715.

nuntiato, intacta servaretur, satis tamen justam causam habuit in ratione tenoris, qua personae inter se colloquendo usae sunt.

Illud quidem in germanici critici libro invenimus, quem supra nominavimus. Mirari tamen possis virum illum doctissimum, quo acumine ingenii praestantior ullus vix esse potest, ambiguitatem, quae in versu 717 continetur, praetermisisse. Omissis enim trimetris, quos Amphitryonis trimetris Lycus interponit, sic ille loquitur :

> Δοκῶ μὲν αὐτήν, ὡς θύραθεν εἰκάσαι,
> ἱκέτιν πρὸς ἁγνοῖς ἑστίας θάσσειν βάθροις,
> καὶ τὸν θανόντα γ' ἀνακαλεῖν μάτην πόσιν.

In hac vero particula γέ vis duplex eadem, quae prius, inest, ut cum omnes noverint Herculem ex Orco salvum rediisse, credat contra Lycus eum esse mortuum[1].

CAPUT VIII. — DE IONE.

Fabula incipiente, Hermes in prologo spectatoribus narrat, Creusae virgini, Erechthei filiae, flores ad tumulum Palladi dedicatum colligenti, vim quondam Apollinem attulisse, sub rupibus quas Athenienses πέτρας μακράς appellaverunt, inde conceptum e stupro filium matrem die ipso natali exposuisse, in eodem loco quo genitus esset; puerum vero non periisse, sed Delphos, curante patre, esse delatum; tum infantem in templo jacentem Phoebi antistitam prima luce invenisse, et, misericordia commotam, extulisse et enutrivisse, cui, ubi primum adoleverit, Delphi thesauros templi servandos commiserint.

Interea Creusam Xuthos, vir Achaïcus, duxit. Quanquam multos annos matrimonio conjuncti sunt, nondum ullam progeniem, a se vehementer exoptatam, habuerunt. Cujus obtinendi causa, oraculum Delphicum adeunt. Xuthum vero jam scimus Apollinis filium suum esse habiturum, Creusamque ipsam post multos et varios casus, viro, jure meliore, consensuram.

Jam ab initio secundi actus mater et filius conveniunt. Tum Creusa,

1. Eodem artificio versus 719 dicitur, quod licebit breviter animadvertere. Rex enim non arbitratur evenire posse, quod pater animo fingere videtur. Res vero ficta jam effecta est, cum Hercules in aedibus adsit, ut poenam a Lyco repetat.

templo dei adspecto, lacrimas non tenet. Quas cum vidit adulescens, dolorem miratur :

Τί δέ; στυγεῖς σὺ τοῦ θεοῦ τὰ φίλτατα [1];

Gurgitem designat, in quem Neptunus, terra scissa, Erechtheum praecipitem immisit. Non aliter vero loqueretur, si stuprum commemoraret, ex quo ipse natus est, locoque ipsi alluderet, quem satis constat, propter veneris recordationem, deo esse carum.

Affirmat deinde mulier se nunquam peperisse. Quod cum non sit fide majus, credere Ion debuit. Interrogationem tamen iterat, non aliter ac si prius responsum suspectum habuisset. Tunc mater composite :

Ὁ Φοῖβος οἶδε τὴν ἐμὴν ἀπαιδίαν [2].

Quod subobscurum consilio dicit, personarum tragicarum more, quotiens, quod turpe est, confiteri gravantur. Pergunt deinde actores, rem aliam aggressi. Habemus enim quod in eo loco breviter attingam, hanc colloquendi rationem, graece στιχομυθίαν, quam maxima arte noster produxit. Verba conserunt actores, minus naturae convenienter, quam ut spectatorum animos stimulent, dum sine intermissione veritati ipsi rerum alludunt, quam tamen nunquam proferunt. Nam ut illae Nausicaae virginis amicae, quae ad litus maritimum, Homero auctore, pilam vixdum arreptam retorquebant, ut semper in motu esset, sic ludunt inter se, nisi nimis audacter dixerim, cum consanguinitate qua inscii inter se vinciuntur, ut continuam ejus faciant mentionem, cujus oblivisci spectatores aliquantisper non licet : nihil magis naturae contrarium est, nihil dicitur, quod magis artificium redoleat; nihil vero ad theatrum melius convenit.

Nam postquam Creusa de nato non sine ambagibus locuta, Ionem de matre interrogat, is continuo respondet :

Οὐκ οἶδα πλὴν ἕν · Λοξίου κεκλήμεθα [3].

Se servum igitur Apollinis esse fatetur, non aliter ac si diceret : Λοξίου δοῦλος κέκλημαι, dum ex eodem responso ab omnibus intellegebatur, eum esse dei filium, ut si nomen υἱός expressisset.

Paulo inferius redit auctor ad infelicitatem mulieris, quam memorare instituerat. Nam postquam audivit quomodo infantem Apollinea sacerdos aluerit, casum matris ipsius ipsa mater ita dolet :

Τάλαινά σ' ἡ τεκοῦσα, τίς ποτ' ἦν ἄρα [4].

Quod non sine arte poeta excogitavit. Creusa enim non temere dicit

1. *Ion*, 287.
2. *Ibidem*, 306.
3. *Ibidem*, 311.
4. *Ibidem*, 324.

Ionis genetricem esse infelicissimam, cum infelicissima ipsa sit mulierum, neque minus recte negat se novisse quae juniorem pepererit, cum nesciat eum a se esse partum.

Respondet adulescens :

Ἀδίκημά του γυναικὸς ἐγενόμην ἴσως [1].

Mirari quidem possis cum tanto ingenii acumine de ortu suo conjicere. Jam vero lectorem monuimus in eis fabularum partibus minus quod verisimile, quam quod subtile esset, Euripidem exquisivisse. Ceterum in adverbio ἴσως vim nonnullam haud inconsulte posuit, quo res dubie expressa minus ad veritatem quadraret.

Creusam tamen pudet juniori fateri se olim ab Apolline stupratam de nato deum consulere. Fingit ideo se ab amica quadam in eo consilio esse missam, quod neminem fugit, eo tantum excepto, cujus maxime referebat, ut non deciperetur. Sic omnia quae evenerunt, pudore salvo, enarrat. Tum is mulierem interrogat ex quo tempore puer ille expositus sit. Cui Creusa mira divinatione ducta :

Σοὶ ταὔτ' ἂν ἥβης, εἴπερ ἦν, εἶχεν μέτρα [2].

Hucusque scriptor sibi ipse modum in hoc adhibendo artificio imposuit. Contra versu 357

Τί δ', εἰ λάθρᾳ νιν Φοῖβος ἐκτρέφει λαβών [3];

nostro quidem judicio, intemperantius usus est. Semper enim meminisse debemus dei servum, non fatidicum ipsum deum loqui, quod Euripides in eo loco oblivisci videtur.

Postquam confessus est adulescens sortem matris, quam sibi amicam esse Creusa dixit, suae similem esse, tum Creusa ipsa non sine quidem magna sollertia :

Καὶ σ', ὦ ξέν', οἶμαι μητέρ' ἀθλίαν ποθεῖν [4].

Quoniam pronomen σέ tam recte quam nomen substantivum μητέρα cum infinitivo ποθεῖν conjunxeris, nominatim proferre noster abstinuit, utrum natus matrem, an mater natum agnoscere cuperet, dicendi rationem imitatus quam in Apollinis oraculo nuper invenimus [5].

Denique declarat junior deum Creusae interroganti nihil esse responsurum ; tum mater infelicissima :

Ἀλγύνεταί δέ γ' ἡ παθοῦσα τῇ τύχῃ [6].

1. *Ion.*, 325.
2. *Ibidem*, 354.
3. *Ibidem*, 357.
4. *Ibidem*, 360.
5. *Supra*, p. 1.
6. *Ion.*, 368.

Versum, quo diverbio finis imponitur, nemo non videt ad personam spectare quae adest, dum in eodem absentis mulieris mentionem fieri Ion falso arbitratur.

Ea est στιχομυθία, qua subtiliorem nullam apud tragicos invenias. Cum praesentem mater natum, natus matrem quaererent, placuit Euripidi, non incallido poetae, sermonem iis accommodare, qui ad rerum condicionem, quam ignorabant, deceret, haud secus ac si eam plane cognovissent[1].

Cum scena finem attingit, priusquam in medium incedat Xuthos, uxor adulescentem rogat, ne, quod dixerit, viro committat. Is enim ignorat uxorem a se ductam vim quondam Apollinis tulisse. Credendum est ergo e versibus,

> Ὦ πότνια Φοίβου μῆτερ, εἰ γὰρ αἰσίως
> ἔλθοιμεν, ἅ τε νῷν συμβόλαια πρόσθεν ἦν
> ἐς παῖδα τὸν σόν, μεταπέσοι βελτίονα[2],

eum tantummodo trimetrum primum, dimidiamque secundi partem exaudire, dum quod sequitur : ἅ τε νῷν... Creusa secum pronuntiat. Nam quod rex respondet : ἔσται τάδε... tantummodo ad uxoris votum : εἰ γὰρ αἰσίως ἔλθοιμεν referendum est. In his igitur locis, si magis naturam poeta assequeretur, mirandum esset Xuthum finem versuum non desiderare, quos imperfectos uxor reliquisset.

Neglectis omnibus a proposita ratione diversis, secundum ἐπεισόδιον aggredi oportet, novum στιχομυθίας exemplum continens. Quod cum e tetrametris trochaicis constet, actor uterque singillatim versum edit, deinde unus unam, alteram alter tetrametri partem. Jam censet Xuthos filium esse suum Ionem, rem quidem non nihil mirantem. Itaque e patre requirit, quomodo fuerit ab eo genitus. Cui Xuthos :

> ....οὐκ οἶδ', ἀναφέρω δ' εἰς τὸν θεόν[3].

Verbum autem ἀναφέρειν vix opus est dicere in eo loco scriptorem consilio posuisse.

Rogat deinde Creusae conjux ut eum adulescens patrem agnoscat;

1. Postquam chori princeps nonnullos trimetros edidit, mater coram nato his vocibus Apollinem compellat :

> ὦ Φοῖβε, κἀκεῖ κἀνθάδ' οὐ δίκαιος εἶ
> εἰς τὴν ἀποῦσαν, ἧς πάρεισιν οἱ λόγοι.

Contraria contrariis nimis acute opponeret, nisi de muliere a deo vitiata loqueretur, quae nunc in templo adest, quanquam eam adulescens abesse credit. Ambages vero paulo inferius mittit, et se ipsa haud dissimulanter designat : quod eumdem praeterit.

2. *Ion.*, 410-2.

3. *Ibidem*, 543.

quod is sponte concedit : « Quid sit enim majus in votis, inquit, quam Jovis filii esse filium ? » Graece :

> Καὶ τί βουλόμεσθά γ' ἄλλο.....
> ἢ Διὸς παιδὸς γενέσθαι παῖς [1].....

quod in utraque parte rebus ipsis confirmandum erat, sive e rege, sive e deo ortus esset. Prior enim a Jove originem ducebat, cum ab Aeolo genitus esset, Jovis filio [2]. Apollinem vero non minus recte dicas, matre Latona, Jovis esse filium. Hoc tantum igitur differebat, quod, Apolline patre, Ion Jovis nepos, dum e Xutho, pronepos erat. Ex utroque autem, sive ex homine, sive contra e deo, παῖς Διὸς παιδός erat agnoscendus.

Interdum rex cum Ionem prolem suam esse fateretur, non vidit chorum in orchestra stantem, quem non sine causa Euripides e theatro eduxisset, nisi ἐπιπάροδον, qua uti noluit, scribere debuisset. Finxit igitur actorem interdicere, ne quid chori princeps uxori proderet. Vix autem abiit, cum is utilitatibus reginae totus inserviens omnia Creusae enarrat, in fabulae parte, quae κομμός vocabatur. Cantu igitur vix ad finem adducto, senex ad ultionem dominam hortatur :

> Ἐκ τῶνδε δεῖ σε δὴ γυναικεῖόν τι δρᾶν
> ἢ γὰρ ξίφος λαβοῦσαν ἢ δόλῳ τινὶ
> ἢ φαρμάκοισι σὸν κατακτεῖναι πόσιν
> καὶ παῖδα [3].

Scimus vero ex adjectivo σόν, quod non minus apte cum παῖδα, quam cum πόσιν junxeris, quo consilio personam loquentem scriptor induxerit, quae paulo inferius, eadem ancipiti significatione usa, Creusae his verbis auxilium pollicetur :

> Ἐγὼ μὲν οὖν σοι καὶ συνεκπονεῖν θέλω
> καὶ συμφονεύειν παῖδα [4].....

Nam cum vocabula νόθος, ξένος, νεανίας in promptu haberet, scite nomen παῖς usurpavit, ut spectatoribus licentia intellegendi foret, Ionem Creusae esse filium.

Nunc vero ἐξόδῳ (1106-1622) nobis studendum, quae ultra modum producta est, cum fabula rebus abundaret, quas solvere haud minimi esset laboris. Primum nuntiatur quomodo insidiae, a regina instructae, male successerint. Nam, cum adulescentem veneno interficere voluerit, capitis, consilio detecto, damnata ad aram dei

1. *Ion.*, 558, 9.
2. *Ibidem*, 63, 4.
3. *Ibidem*, 843-6.
4. *Ibidem*, 850, 1.

confugit. Tum ei servos Ion jussit manus injicere, quae respondisse fertur :

> Ἀπεννέπω σε μὴ κατακτείνειν ἐμὲ
> ὑπέρ τ' ἐμαυτῆς τοῦ θεοῦ θ' ἵν' ἕσταμεν [1].

Id vero, quod facile animo comperire est, ita graece vertitur ut pro jure materno Creusa, Apollo, pro paterno interdicant, ne morte supplicem filius afficiat. Sensus ipse e loco, quem vocabula in trimetro tenent, probabilior fit, cum ὑπὲρ ἐμαυτῆς prius dicatur, quia in his verbis vis major insit.

Ceterum quod ipse respondet filius ad explanationem qua usi sumus, haud aegre accommodatur. Is enim cum dicit :

> Τί δ' ἐστὶ Φοίβῳ σοί τε κοινὸν ἐν μέσῳ [2];

de ea κοινωνίᾳ matrem interrogat, quam ignorat. Mulier contra testatur haud injuste suum ipsius corpus deo esse sacrum, seque ei tuendam committit. Cui Ion :

> Κἆτ' ἔκτανες σὺ φαρμάκοις τὸν τοῦ θεοῦ [3];

in quo inscius facit Apollinis sacerdos divinae originis mentionem.

Versus ceteros mittere licet, ubi nullam difficultatem invenias. Unum tamen excipiam, quia Creusa de se ipsa loqui nescit, cum Ionem soli matri imperare ita jubet :

> Τὴν σὴν ὅπου σοι μητέρ' ἐστὶ νουθέτει [4].

Verba enim ὅπου σοι ἐστίν quo minus erant necessaria, eo magis vim trimetri peculiarem adaugebant.

CAPUT IX. — DE SUPPLICIBUS.

Hanc tragoediam, quam voluit Euripides ἐγκώμιον Ἀθηνῶν esse, ut antiquiores ipsi rectissime judicaverunt, praetermitto, cum e veterrimis Graecorum fabulis deprompta, ipsa indole dicendi artificio, cui studeo, maxime repugnaret.

1. *Ion.*, 1282, 3.
2. *Ibidem*, 1284.
3. *Ibidem*, 1286.
4. *Ibidem*, 1307.

CAPUT X. — DE TROADIBUS.

Scimus *Troadas* circiter decem annos post fabulam, quae *Hecuba* inscribitur, esse doctas. Spectatores igitur ludorum qui anno 415 a. C. celebrabantur, nondum obliti erant in hac tragoedia Polyxenam a victoribus Achillis Manibus jamdudum esse oblatam. — At enim tragoedia *Troadum* si tempore quo acta est post *Hecubam*, rebus saltem, quae in ea continentur, ante eandem fabulam ponenda est, cum in hac iter ad Graeciam matronae captivae jam ingressae sint, dum in illa nondum patriae litus reliquerint. Inde non sine injuria mirari possumus, si Polyxenam in *Hecuba* poeta vivere dixerit, dum in *Troadibus* jam occisa sit. — Non id quidem tantae difficultatis est, quantae videtur. Finxit enim Euripides in *Hecuba* serius quam in *Troadibus* mactatam esse virginem : quod ei vitio non dari potest, cum fabularum argumenta innovare et commutare poetis tragicis ubique licuerit.

Graeci vero omnes, cum *Troades* docerentur, matre Talthybium interrogante quae sors filiae esset, Polyxenam e vita jam esse defunctam sciebant. Quod tamen cum vates non aperte confiteatur, rursus sciscitanti Hecubae cuinam Graecorum data sit, respondet eam Achillis tumulo ministraturam esse. Graece :

Τύμβῳ τέτακται προσπολεῖν Ἀχιλλέως [1].

Quod nemo non sentit per ambages esse enuntiatum. Rem tamen insolitam esse Hecuba existimat. Itaque : « At, quaeso, inquit, quae est ea lex, quisve ritus, quo natam meam sepulcri ministram esse adhibueritis? » Cui ille : « Natam crede, ait, esse felicem : bene cum ea actum est. »

Εὐδαιμόνιζε παῖδα σήν · ἔχει καλῶς [2].

Veritatem suspicatur anus. Rursus enim : « Quid dixisti, inquit, solisne lucem videt? » Contra Talthybius : « Sortem hanc habet, qua ab aerumnis liberata sit. »

Ἔχει πότμος νιν, ὥστ' ἀπηλλάχθαι πόνων [3].

1. *Troad.*, 264.
2. *Ibidem*, 268. Ἀινίττεται Talthybius, ut ipse testatur scholiastes.
3. *Ibidem*, 270.

Patet hunc versum non eum esse, quo Hecubae animus, sollicitudine omni deposita, recreari et erigi possit. Minime ergo naturam secutus est Euripides, cum finxit eam, nihil amplius sciscitata, ad alia transire.

CAPUT XI. — DE ELECTRA.

Euripidis *Electra* e duabus partibus constat, quae, quanquam parum similitudinis praebent, aptissime tamen inter se cohaerent, cum altera unam naturaliter consequatur. Nam dum in priore[1], fratrem soror agnoscit, in posteriore[2] ambo consilium ineunt Clytaemnestram et Aegisthum ulciscendi : quod eis prospere succedit. Poena duplex dupliciter exponitur[3]. Itaque curavit ipse poeta, quo magis appareret certum et quasi examinatum totius operis temperamentum, ut eadem voce εἶεν utramque ultionis partem inciperet[4].

Tragoedia scenam quandam continet, ut in *Ione*, ubi fit personarum agnitio. Hoc tamen interest, quod in fabula, cui jam prius studuimus, personae ambae ignorant, qua consanguinitate inter se vinciantur, dum in *Electra*, haec tantum illam agnoscit. Nam fecit noster, ut Orestes ac Pylades se abdidissent, cum virginem redeuntem e fonte prima luce audirent. Tum queritur puella infelicitatem suam, neque dicere omittit se filiam esse Agamemnonis, ut frater, postquam e loco exiit, ubi condebatur, ambiguitate in diverbio prudenter, soror contra imprudenter utatur.

Timet enim virgo, cum viri subito irrumpunt, ne vim sibi et choro amicarum ferant. Jubet ergo eas fugere, dum ipsa fugam quaerit. Terrore vero impulsa, Apollinem exorat, ne moriatur, existimans eum qui stat armatus, necem illaturum. Cui ille :

Ἄλλους κτάνοιμ᾽ ἂν μᾶλλον ἐχθίους σέθεν[5].

Hoc autem pronomine ἄλλους obscure matri et Aegistho mortem minatur, quos dare poenas cupit, dum Electra vim communem ac multo minus praefinitam in eodem vocabulo inesse arbitratur. Ella-

1. *Elect.*, 1-595.
2. *Ibidem*, 596-1176.
3. *Ibidem*, 596-958, 959-1176.
4. *Ibidem*, Orestes : εἶεν, 596 = 959.
5. *Ibidem*, 222.

gitat ergo ab eo, ut abeat, neve tangat, quam tangere non debet. Tum frater :

Οὐκ ἔσθ' ὅτου θίγοιμ' ἂν ἐνδικώτερον [1].

Quod absolutam et perfectam exprimit veritatem. Id vero fugit Electram. Itaque : « Si res ita se habet, inquit, cur armatus in domum insidiaris? » Tum junior eam consistere jubet, ut agnoscat nullam esse aliam quam meliore jure possit amplecti. Cui virgo :

Ἕστηκα· πάντως δ' εἰμὶ σή· κρείσσων γὰρ εἶ [2].

Sic profitetur, etiamsi nolit, se in ditione viri esse; soror vero, cum multis ab annis fratrem exoptaverit absentem, non magis a re ipsa distat, quando se totam ei deditam ac devotam testatur.

Monet Orestes Electram in versibus qui sequuntur, se nuntium de fratre afferre; quod quidem si tantum quod verisimile esset noster exquisivisset, mirari deberet puella, cum is ne scire quidem possit, utrum fratrem habeat, necne. Jam vero prius vidimus, quantum poeta et spectatores inter se tacite convenirent, ut omnia quae supervacua forent, omitterentur.

Diverbium tamen producitur. Nam vix exposuit Orestes in quo rerum habitu esset, cum Electra infelicitatem depingit suam. Partes ambae, quae est tragicorum graecorum consuetudo, eodem versuum numero informantur.

Soror autem fratri haud multo post fatetur se tonsam esse capite, quod, Agamemnone interempto, frater ipse absit. Is vero : « Credisne, inquit, eum quemquam te cariorem habere? » Quod tantum interrogatur, ut hoc responsum edat Electra, quo partem, in qua de ejus miseria agitur, non incallide absolvat :

Ἀπὼν ἐκεῖνος, οὐ παρὼν ἡμῖν φίλος [3].

Quando enim arbitratur se fratrem reprehendere, quod desideretur, versus significationem omnino contrariam habet, cum redierit.

Nonnullos praetermisimus trimetros, quos abs re alienos esse judicavimus. Versum autem 263 leviter attingemus. Nam posteaquam Orestes dixit αὐτουργόν illum, quem tam egregie poeta tractavit, esse mercede dignum, tum soror respondet :

Εἰ δή ποθ' ἥξει γ' εἰς δόμους ὁ νῦν ἀπών,

in quo rursus se rem incertam exprimere existimat, sed quoniam fratrem omnes conspiciunt in theatro stantem, jam nullum est dubium quin vir

1. *Elect.*, 224.
2. *Ibidem*, 227.
3. *Ibidem*, 245.

ille rusticus divitiarum abundantia, Geminorum jussu, condonetur[1].

Paulo inferius testatur Electra se libenter esse morituram, si matrem ipsa interfecerit. Quo audito, avet frater adesse Orestem, ut talia auribus percipiat. Tum illa : « At hospes, inquit, eum ne agnoscerem quidem, si vidissem. » Graece :

Ἄλλ᾽ ὦ ξέν᾽, οὐ γνοίην ἂν εἰσιδοῦσά νιν[2].

Quod, etsi artificium redolet, ea solertia tamen Euripides expressit, quae theatro maxime convenit, ubi minus id quod cum veritate quadret, quam quo ipsi commoveantur, spectatores requirunt.

Denique, ubi Orestes indixit, quod in fabula maximi esse momenti constat, quam difficile ex habitu externo discernatur, utrum homines generosi sint, necne, monet se agricolae hospitem fore :

Ἀλλ᾽ ἄξιος γὰρ ὅ τε παρὼν ὅ τ᾽ οὐ παρὼν
Ἀγαμέμνονος παῖς, οὗπερ εἵνεχ᾽ ἥκομεν,
δεξώμεθ᾽ οἴκων καταλύσεις[3]....

Latine : « At hospitio in ea domo frui volumus, quod nobis praebetur. Non enim Agamemnonis filio, praesenti atque absenti, indignum est, propter quem venimus. » Minime quidem nobis placerent verba ὅ τε παρὼν ὅ τ᾽ οὐ παρών, nisi ea scriptor peculiari mente posuisset, quia Electra, amore fraterno caecata, quotiens nuntius loquitur, loqui fratrem ipsum existimat, ut, cum abest, quasi praesens sit; dum spectatores contra eundem adesse sciunt, quanquam abesse putatur.

Venio nunc ad tertium ἐπεισόδιον, in quo, Aegistho jam mortuo, Clytaemnestra in scenam curru invehitur. Nobilitatem summam, ex qua ducit originem, et felicitatem qua abundare videtur, chori princeps laudibus extollit, sed cum spectatores jamdudum conscii sint perniciei infelicissimae, in quam mox se praeceps sit immissura, credendum est hos anapaestos, quibus systemata absolvebantur, vi maxima eorum animos tetigisse :

Χαῖρε, σεβίζω σ᾽ ἴσα καὶ μάκαρας
πλούτου μεγάλης τ᾽ εὐδαιμονίας.
τὰς σὰς δὲ τύχας θεραπεύεσθαι
καιρός. χαῖρ᾽ ὦ βασίλεια[4].

Si quis enim Clytaemnestrae prosperam fortunam, in extremo discrimine versatam, praedicare vellet, maturato opus erat, nam cum consilium cepisset filiae domum subeundi, inferorum limen erat superatura.

1. *Elect.*, 1286 sq.
2. *Ibidem*, 283.
3. *Ibidem*, 391-3.
4. *El.*, 994-7. χαῖρε, v. 997, supplevit Nauckius.

Vix vero e curru descendit, cum inveniuntur, ut mos est tragicorum graecorum, orationes ambae, ῥῆσις atque ἀντίρρησις appellatae, in quibus de scelere reginae accuratissime disputatur. Finxit autem scriptor, scena ad finem perducta, matrem filiae infelicitate commoveri. Affirmat enim eam paenitere, quod iram Aegisthi in natam concitaverit. Quae dolose ait eam serius ingemiscere, cum remedia miseriis jam nulla possit adhibere. Graece :

Ὀψὲ στενάζεις, ἡνίκ' οὐκ ἔχεις ἄκη [1].

Periit enim Aegisthus, atque ipsi Clytaemnestrae mors proxima imminet. Mater contra eam conubio alludere existimat, quo cum agricola sic juncta est, ut finem malorum haberet nullum.

Fatetur deinde Electra se quanquam praefractae est indolis, velle tamen irasci desinere. Tum ingenue promittit mater conjugem ipsum jam non ei infensum fore :

Καὶ μὴν ἐκεῖνος οὐκέτ' ἔσται σοι βαρύς [2],

neque suspicatur quantum rem acu imprudenter tetigerit. Electra contra non ignorat jam Aegisthum esse interemptum. Itaque : « Superbit, inquit, in domo enim nostra habitat. »

Φρονεῖ μέγ' · ἐν γὰρ τοῖς ἐμοῖς ναίει δόμοις [3].

Partem alteram trimetri ad aedes Agamemnonias Clytaemnestra refert, quibus Aegisthus, rege interfecto, potitus est, quanquam de domo agricolae agitur, ubi jacet tyranni corpus. Itaque queritur eam nova jurgia excitare, quae non sine maxima dissimulatione respondet :

Σιγῶ · δέδοικα γάρ νιν ὡς δέδοικ' ἐγώ [4].

quod explanare inutile est.

Denique cum mulier infelicissima in tugurium ingreditur : « Cave, ait Electra, ne vestem ad fumosum parietem macules, ea enim, quae conveniunt, diis sacrificabis. »

Θύσεις γὰρ οἷα χρή σε δαίμοσιν θύειν [5].

Nullam vero aliam victimam, quam ipsam matrem filia designat, quod, matre tantum excepta, neminem in theatro fugiebat.

1. *Elect.*, 1111.
2. *Ibidem*, 1119.
3. *Ibidem*, 1120.
4. *Ibidem*, 1122.
5. *Ibidem*, 1141.

CAPUT XII. — DE HELENA.

Tragoedia, si jure quidem nomen illud huic operi indideris, quod in nonnullis partibus a tragica majestate videtur haud mediocriter abhorrere, singularem locum inter ceteras Euripidis fabulas obtinet. Argumentum enim neque commune, neque de medio sumptum. Nam scriptor ab Homero quidem dissidens, notissimam vero Stesichori palinodiam secutus, finxit Helenam Trojam non ivisse, Junone curante, ab Alexandro ac Cypride poenas petendi causa, ut uxor ipsa Menelai a Mercurio sublata in Aegyptum deportaretur, cum Priami filius inanem mulieris effigiem secum auferret.

Agamemnonis igitur frater, Troja capta, non ipsam conjugem in nave revexit, sed vacuam umbram. Ubi vero ventis et fluctibus ad Aegyptiorum litus appulsus est, mulierem quandam vultu et forma uxori suae simillimam ad se venientem prospicit. Primum rei miraculo attonitus parumper obstupescit, deinde errorem agnoscit, quo tam multis annis deceptus est, atque Helenam non diutius dubitat fateri uxorem suam esse.

In altera vero tragoediae parte, dolos noster in scenam produxit, quibus usi sunt ambo, ut ex Aegypto in patriam confugerent. Theoclymenos enim, Protei filius, amore captus, Helenam ducere volebat : quod fugae faciendae consilio magnopere obstabat. Fraude tamen rem expediunt, ut ad finem operis virum et uxorem in altum mare evehi videamus.

Novam igitur habemus fabulam, e duabus partibus constantem, quae inter se parum similitudinis praebent. In una enim, cum sit duplex, ut sic dixerim, Menelai uxor, quaeritur et discernitur utra sit ipsa Helena; in altera autem exponitur qua ratione, conjuge reperto, ex Aegypto evadat. Facile quidem, spero, concedes, ex his tam diversis partibus aegre componi, quod simplex et unum sit.

Opus tamen mirum et portentosum, ut tragico colore parum enitebat, ita tamen vulgi opinionem multum offendebat, quod placebat Euripidi, novitatis poetae omnium studiosissimo. Vera enim Helena, quae sine ulla intermissione virum invita in errorem inducebat, cum eum contra libentissime illuderet falsa ejusdem effigies, occasionem dabat scriptori, modo comicas, modo tragicas scenas in una fabula conjungendi, quibus spectatorum animi in contrariam partem vehementer distraherentur. Nam sexaginta annos circiter postquam *Persae*

docti erant, fere omnia argumenta quibus tragici scriptores utebantur, in scenam saepenumero producta, primum illum florem jam amiserant, quem vulgus maxime appetit. Sic Aeschyli ingenua simplicitas jamdudum obsoleverat. Euripides igitur, ut illam novitatem assequeretur, qua nihil poetis antiquius sit necesse est, aut rationem fabulas tractandi, ut in *Electra,* aut ipsas fabulas immutare debuit, quod in priore hujusce operis parte tentavit.

Contra nihil ei prospere successit, cum posteriorem composuit, quam posthac in fine *Iphigeniae Tauricae* nimis, ut opinor, imitatus est. Utrinque enim rex barbarus, inhumanus, animo imbecillus, dolis haud difficulter capitur eorum quos nescit ejusdem esse familiae. Inde quot ambiguitatis exempla in hac tragoedia, tot in *Helena*, cui studemus, invenire est.

Licet tamen, jam incipiente fabula, quosdam locos animadvertas, rei nostrae haud alienos. Etenim, postquam Menelai uxor prologum ad sepulcrum Protei edidit, in quo spectatores monuit simulacrum suum Trojae adesse, venit Teucer, persona non necessaria, ac propemodum inutilis, nisi ut ex eo captam esse Trojam, Menelaumque non esse Argis, nec Spartae Tyndaris audiat. Credit vero Teucer ut omnes Graeci, Menelaum Ilione uxorem suam reduxisse; itaque, cum mulierem repente adspicit : « Di boni, inquit, quam speciem vidi : invisam et letalem feminae formam, quae me et omnes Achaeos pessumdedit. » Graece :

> Ἔα·
> ὦ θεοί, τίν' εἶδον ὄψιν; ἐχθίστην ὁρῶ
> γυναικὸς εἰκὼ φόνιον, ἥ μ' ἀπώλεσε
> πάντας τ' Ἀχαιούς [1].

Illud magis comoediae quam tragoediae dignum esse arbitramur, cum verba, quibus is exsecratur Helenam, Helena ipsa adstante, risum omnibus moveant. Mulier tamen, cujus permagni interest veritatem expromere, non committit ut quae sit aperiat. Inde, postquam Teucrum interrogavit num socii hanc, quae dicitur Helena, feminam rapuerint, is confestim respondet Menelaum eam ipsam crinibus tractam in navem duxisse. Tum Lacaena, quae facere non potest quin hujus testimonium parum credibile esse sibi videatur : « Remne, ait, vidisti, an narras, quae audiveris? » Cui Teucer :

> Ὥσπερ σέ γ', οὐδὲν ἧσσον, ὀφθαλμοῖς ὁρῶ [2].

Latine : « Eam ipsam oculis vidi, ut te nunc video. » Quod non sine artificio edit, cum suspicari Helenam ipsam adesse nequeat.

Tentat quidem mulier eum ab errore revocare : « Videte, ait, ne

1. *Hel.*, 71-4.
2. *Ibidem*, 118

simulacrum habeatis a diis immissum. » Is vero, qui non prospicit quo verba tendant, parum urbane eam jubet de ista invisa muliere loqui desinere :

Ἄλλου λόγου μέμνησο, μὴ κείνης ἔτι [1].

Duos versus praeterimus, quos jure W. Ribbeckius et I. Czwalina damnaverunt. Tunc Helena sciscitatur num domi cum uxore Menelaus sit. Postquam didicit eum neque Argis versari, neque ad Eurotae ripas, sententiae conformationem usurpans, cujus apud tragicos tam multa exempla jam invenimus : « Vae mihi, exclamat, quantam calamitatem indixisti, quibus eam indicis ! » Graece :

Αἰαῖ· κακὸν τόδ' εἶπας οἷς κακὸν λέγεις [2].

Vir quidem, quocum diverbium agit, non discernit quos hoc pronomine οἷς designaverit ; spectatoribus contra res se aliter habet.

Jam ad primum ἐπεισόδιον veniamus. Postquam Menelaus, naufragio facto, enarravit quantis calamitatibus conficeretur, ei fit anus obvia, quam jubet in regiis aedibus, quis ipse sit, nuntiare. Tum mulier :

Πικροὺς ἂν οἶμαί γ' ἀγγελεῖν τοὺς σοὺς λόγους [3].

quod ambigue imprudens profert. Nam cum affirmat, modo si mandato paruerit, Menelaum maximis malis affectum iri, vim eisdem verbis, longe quidem diversam, subjicere possumus, cum regis Helenam petentis consilia, viro interveniente, haud prospere successura praevideamus.

Postquam chorus in primo στασίμῳ Trojanum bellum et Tyndaridis immeritam infamiam cantu prosecutus est, redit rex a venatione. Primo Helenam aufugisse arbitratur, cum paternum sepulcrum desertum videt. Error vero brevis est. Venit enim mulier, pullis vestibus induta, quae ei obiisse nuntiet Menelaum, cum Menelaus ipse, rei nuntius, ad Protei monumentum sedeat. Uxor fingit, morte audita, se consilium iniisse, conjugi justa funebria solvendi. Cujus rei licentiam regem rogat, quam is sine ulla fraudis suspicione permittit.

Rursus στιχομυθοῦσιν personae ; nemo autem, rege excepto, simulata mente non loquitur. Locus ergo magnam versuum copiam, quibus operam impendamus, suppeditaturus est, cum alter alteri, quae est euripidea consuetudo, nihil falsi fere unquam comminiscatur, quin veritatem spectatoribus rerum consciis simul declaret.

Primo quidem trimetro nobis accuratius studendum est, quia editores, quod saepissime in hac fabula contingit, valde inter se dis-

1. *Hel.*, 120.
2. *Ibidem*, 125.
3. *Ibidem*, 448.

crepant. Nam, postquam rex rogavit, veneritne qui Menelaum occubuisse dixerit, tum respondet Helena :

Ἥκει· μόλοι γὰρ οἷ σφ' ἐγὼ χρῄζω μολεῖν[1].

latine : « Venit ille sane; velim vero (?) eat quo eum ire cupio. » Permulti quidem ita versum scripserunt. Hermannus contra, quem Fix secutus est :

Ἥκει· μόλοι γάρ, ὡς ἐγὼ χρῄζω μολεῖν,

quod ipse sic vertit : « Venit. — Utinam venerit, sic ut ego (eum) venisse cupio. » Arbitratur enim criticus Helenam ipsam de Menelao cogitantem, velle Theoclymenon id sic accipere, quasi optaret periisse illum in mari, qui mortem mariti nuntiatum venisset[2].

Fatemur quidem, cum in eo loco non multum absit quin libri animo satisfaciant, hanc emendationem nobis parum placere. In hoc enim diverbio jam non quaeritur, quod minoris est momenti, quomodo Menelaus in Aegyptiorum litus fluctibus appulsus sit, sed qua ratione in patriam redire possit. Itaque libentissime Kirchhoffio adstipulamur, qui, libris leviter correctis, proposuit :

Ἥκει· μόλοι δέ γ' οἷ σφ' ἐγὼ χρῄζω μολεῖν,

quod ita interpretandum est : « Venit. — Utinam vero abeat, quo eum abire cupio. » Sic Menelai adventus ac reditus, particula γέ non sine consilio sententiae adjuncta, subtiliter inter se opponuntur, dum contra Theoclymenos intellegit : « Venit quidem infaustus iste nuntius. Utinam vero eat quo eum ire cupio, id est, εἰς κόρακας. »

Confestim Helena virum ad sepulcrum sedentem regi ostendit, qui sordidum habitum ac laceram ejus vestem miratur. Tum mulier :

Οἴμοι, δοκῶ μὲν κἀμὸν ὧδ' ἔχειν πόσιν[3].

ubi temperare mihi non possum, quin eam arbitrer Theoclymeni imbecillitati animi ultra modum esse confisam[4].

1. *Hel.*, 1201.
2. Vide Euripidis *Helenam*, quam recensuit G. Hermannus, Berolini, apud Weidmannos, 1837.
3. *Hel.*, 1205.
4. Is tamen paulo post sciscitatur in qua litoris parte quassatam navem advena deseruerit. Respondet Lacaena :

ὅπου κακῶς ὄλοιτο, Μενέλεως δὲ μή.

De quo loco Pflugk : « Si e Theoclymeni mente, ait, accipies supplebis ὤφελεν ὀλέσθαι. Helena vero his verbis exsecrationem mortis nuntio debitam revocat. » Porro cum Menelaus non sit mortuus, quippe quem omnes in theatro sedentem conspiciant, non rerum veritatem malitiose obumbrat Helena, sed aperte mentitur. Versum 1215 ergo intactum relinquimus, cum operi nostro sit alienus.

Ille vero paulo post ab ea quaerit, num comam Menelai mortem lugendi causa praeciderit. Cui Tyndaris :

Φίλος γὰρ ἐστιν ὅς ποτ' ἐστὶν ἐνθάδ' ὤν [1].

Quod vitiosum est. Nullo enim pacto vocabulum ἐνθάδε, quod non idem atque ἐκεῖ valet, de eo qui abest jure dixeris. Oportet igitur, nisi correctionem adhibueris, ad hospitem haec vocabula ὁ ἐνθάδε ὤν Theoclymenos referat, quem omnes sciunt esse Atridam. Ne autem obliviscaris Helenam ipsam regi modo esse confessam sibi virum esse invisum, propter nuntium quem attulerit. Rursus igitur conjecit G. Hermannus :

Φίλος γάρ ἐστιν, ὥσπερ ἐστίν, ἐνθάδ' ὤν.

in quo trimetro Helena adverbio ἐνθάδε sepulcrum designat, quod idem de Orco dici rex existimet necesse est. Fatemur quidem emendationem nobis parum probari. Contra Nauckius proposuit :

Φίλος γάρ ἐστιν ὥς ποτ' ἐνθάδ' ὢν πόσις.

in quo etsi multum a libris distat, nobis tamen plane satisfacit, quod Helena cum sibi conjugem esse carum affirmat, non aliter ac si ante oculos ipse staret, assueta dicendi ratione usa, rem fictam exprimere existimatur, quae tamen a veritate non dissidet.

Nihil autem amplius edit notatione dignum, cum Menelaus, quo res venustior fiat et concinnior, partes ipse, uxore tacente, in colloquio suscipiat. Jam nihil in hac tragoedia quaerendum, quo specie veri commoveamur. Ubique contra Euripides a natura quam maxime abesse videtur, quasi commenticiam scripserit fabulam.

Nam cum Menelaus fugam parat, rex nihil antiquius habet, quam ei celerem navem committere, qua consilium perficere possit. Tum Atrida :

Καλῶς ἂν εἴη Μενέλεῴ τε πρὸς χάριν.

quod certe spectatores non sine cachinnis exaudivere. Idem paulo post uxorem hortatur, ut praesentem virum diligat, quod jure suadere potest, cum ipse adsit. Denique sententias his versibus absolvit :

Ἢν δ' Ἑλλάδ' ἔλθω καὶ τύχω σωτηρίας,
παύσω ψόγου σε τοῦ πρίν, ἢν γυνὴ γένῃ
οἵαν γενέσθαι χρή σε τῷ ξυνευνέτῃ [2].

Respondet Helena :

Ἔσται τάδ'· οὐδὲ μέμψεται πόσις ποτὲ
ἡμῖν· σὺ δ' αὐτὸς ἐγγὺς ὢν εἴσει τάδε [3].

1. *Hel.*, 1225.
2. *Ibidem*, 1291-3.
3. *Ibidem*, 1294,5. Licet addas versus 1298-1300, quos, ne lectorem obtundam, praetermisi.

quibus verbis maxime convenienter huic scenae finis imponitur, in qua, tribus personis partes agentibus, una tantum sincere et ingenue eloquitur.

Jam quartum ἐπεισόδιον aggredi opportunum est, in quo Euripides quasi de industria Aegyptiorum regem ita ridiculum esse effinxit, ut paene tantae stultitiae nos misereret, nisi in scenam induceretur, qui risus Atheniensibus concitaret, ut nervis alienis mobile lignum[1]. Nam is, dum Helena et conjux, sub nomine sacrificii Menelao mortuo persolvendi, in navem conscensuri sunt, stat in maritimo litore, qui consilia immodice, amantium virorum more, largiatur. Primum quidem Helenam deterret ne ab ora navem solvat :

Ἑλένη, σὺ δ', ἤν σοι μὴ κακῶς δόξω λέγειν,
πείθου, μέν' αὐτοῦ[2].....

quod ironia refercitur. Ea est enim in eo loco poetae calliditas, ut Theoclymenos magis Helenae utilitati quam suae consulere videatur, cum contra Menelai uxor, modo si monitioni pareret, consilium fugae ipsa totum dirimeret.

Postquam asseveravit se virum adeo diligere, ut mortem cum eo libenter pateretur, orat regem ut defuncto conjugi funeralia offerat, simulque haec verba subjicit : « Di tibi duint, quae cupio, et advenae huic, qui me adjuvat. » Graece :

Θεοὶ δὲ σοί τε δοῖεν οἷ' ἐγὼ θέλω,
καὶ τῷ ξένῳ τῷδ', ὅτι συνεκπονεῖ τάδε[3].

Solus videt spectator, quo talia vota tendant. Deinde ab irrisu regem, qui Menelao et ipsi ita consuluerit, promittit uxorem in aedibus habiturum, qualem deceat, cum res sint prospere successurae :

Ἕξεις δέ μ' οἵαν χρή σ' ἔχειν ἐν δώμασι
γυναῖκ', ἐπειδὴ Μενέλεων εὐεργετεῖς
κἄμ'· ἔρχεται γὰρ δή τιν' εἰς τύχην τάδε[4].

Theoclymenos vero, qui suo ipsius indulgere amori Helenam ducit, beneficii haud immemor, non tantum Menelaum semel jubet navi praeesse, sed etiam mandatum bis ac ter iterat :

Αὖθις κελεύω καὶ τρίτον γ', εἴ σοι φίλον[5],

quod immodicum et certe parum probabile esset, nisi quid maxime

1. Horat., *Satir.* Lib. II, 7, 82.
2. *Hel.*, 1392, 3.
3. *Ibidem*, 1405, 6.
4. *Ibidem*, 1407-9.
5. *Ibidem*, 1417.

voluerit scriptor effici, jamdudum perspiceretur. Justas contra gratias ei Tyndaris agit, qui se tam facilem praebuerit :

Ὄναιο, κἀγὼ τῶν ἐμῶν βουλευμάτων [1].

Tum is, cui quidem Euripides aliquantulum parcere debuit, ingenue hortatur eam, ut lacrimis corpus conficere desinat :

Μή νυν ἄγαν σὸν δάκρυσιν ἐκτήξῃς χρόα [2].

Cui Helena :

Ἥδ' ἡμέρα σοι τὴν ἐμὴν δείξει χάριν [3].

Affirmat deinde rex barbarus nihili esse res mortuorum, cultumque et honores eis incassum solvi. Hoc iterum ad ea verba spectat, quibus Lacaenam deterruit, ne defunctum virum lugeret. Perfide autem contendit Menelai uxor se non tantum mortuos homines, sed etiam eos qui adhuc vita fruuntur, curare. Quod ita graece vertitur :

Ἔστιν τι κἀκεῖ κἀνθάδ' ὧν ἐγὼ λέγω [4].

Nemo non videt praesentem virum ita designari. Rex vero sibi fingit in animo versum ad se spectare, et mulierem amorem profiteri. Continuo testatur se ei conjugem fore, nihil Menelao inferiorem :

Οὐδὲν κακίω Μενέλεώ μ' ἕξεις πόσιν [5].

Versum dicas esse Aristophanis. Tum Helena ait se nihil habere, quod ei exprobret, fortuna favente sibi tantum opus esse :

Οὐδὲν σὺ μεμπτός· τῆς τύχης με δεῖ μόνον [6].

Omnia enim ab eo impetravit, quae necessaria sunt, ut Laconiam petat, modo si dii faverint. Theoclymenos contra, amore caecus, parum deos curat. « Si me amaveris, inquit, felix eris : hoc in tua est potestate. »

Ἐν σοὶ τόδ', ἢν σὴν εἰς ἔμ' εὔνοιαν διδῷς [7].

Effecit autem Euripides, ut rex inscius, verbis ἐν σοὶ τόδε post τῆς τύχης με δεῖ μόνον positis, Lacaenae in Graeciam fugiendi daret ipse licentiam, non aliter ac si dixisset : « Modo si evadere volueris, evades. »

Jam vero ad finem hujusce scenae pervenimus, cum Helena, suo

1. *Hel.*, 1418.
2. *Ibidem*, 1419.
3. *Ibidem*, 1420.
4. *Ibidem*, 1422.
5. *Ibidem*, 1423.
6. *Ibidem*, 1424.
7. *Ibidem*, 1425.

erga Menelaum amori alludens, commemorat se e longinquo tempore amicos amare didicisse :

Οὐ νῦν διδαξόμεσθα τοὺς φίλους φιλεῖν [1].

Rex autem, qui eodem errore quo prius decipitur, maximo gaudio affectus, hunc versum edit, quo optime partes absolvit, quas in toto diverbio obtinuit :

Βούλει ξυνεργῶν αὐτὸς ἐκπέμψω στόλον [2] ;

Stupiditatis, qua majorem nullam invenies, Helenam ipsam pudet, ut eum deterreat ne servis inserviat. Is igitur suadenti accedens, navem invitus non deducit. Priusquam vero e scena exeat, ad Menelaum conversus, sic eloquitur : « Abi, hospes ; ubi vero in mare funeralia dona conjeceris huic qui prior Helenae conjux fuit, tum in aedes cum uxore redi. »

Ita autem graece sermonis finem facit :

Πάλιν πρὸς οἴκους σπεῦδ' ἐμὴν δάμαρτ' ἔχων.

Rex ergo ipse, vocabulis πρὸς οἴκους sine adjectivo nomine usus, quae tantum Atridae domum, quantum suam ipsius designare possunt, Menelaum hortatur ineptissime, ut in Laconam redeat, cum ea quam sibi uxorem fore arbitratur.

CAPUT XIII. — DE IPHIGENIA TAURICA.

Investigationi, quam instituimus, fabula multum materiae suppeditat, cum ab Aristotele sit laudata, quod agnitione personarum nodus optime expediatur[3]. Jam vero lectorem monuimus omnes hujuscemodi tragoedias verbis atque versibus ambiguis redundare.

Cujus rei causa in promptu est. Spectatores enim noscebant omnes, quo propinquitatis vinculo personae inter se conjungerentur. Tum tanto magis ad fabulam animum attendebant, quanto magis imminebat agnitio, magisque tamen in futurum reservabatur. Ideo noster nonnullas tragoediarum suarum scenas ita produxit, ut prope ei ludibrio videantur

1. *Hel.*, 1426.
2. *Ibidem*, 1427.
3. Cf. Arist. *Poet.*, 1455 a 16-18.

fuisse. Sic populi aures et animos captabat, qui eo studiosius fabulam exaudiebat, quo artificiosius erat scripta.

In hac autem, postquam Iphigenia in prologo quaenam esset, professa est, continuo successerunt Orestes ac Pylades, qui nomen suum publice ediderunt. Tum ubi Agamemnonis filius in manus pastorum cum socio incidit, virgini traditus est, et, usitato regionis more, Taurorum Artemidi est immolandus, poeta non omisit, cum in medium processissent, consanguinitati fratris et sororis ita alludere, ut in ore eorum verba imposuerit, quorum significatio audienti spectatori, atque personae ipsi, quae loqueretur, longe alia esset.

Nam posteaquam Iphigenia Orestem, nomine patriae audito, interrogavit, num Mycenis exsul cesserit, respondet ille sese invitum, et non invitum, e civitate exivisse. Tum soror : « At saltem, inquit, exoptatus a me Argis venisti. » Graece :

Καὶ μὴν ποθεινός γ' ἦλθες ἐξ Ἄργους μολών [1].

Orestes, qui mulierem eam esse arbitratur, cujus e manu necem passurus sit, virginem eo vocabulo ποθεινός usam, existimat gaudium exprimere, quod pro certo habeat se in ara Dianae Graecum hominem esse immolaturam. Itaque non nimis quidem urbane respondet se contra invitum adesse; sin autem ab ea exoptatus venerit, hoc ejus, non sua referre. Spectatores vero in eodem adjectivo nomine vim aliam, multoque majorem subjici comperiebant, quae loquentem ipsam personam fugiebat. Vota enim fecerat infelicissima soror, ut in conspectu staret frater, quem e somnio quodam prius in prologo enarrato e vita excessisse credidisset.

Sciscitatae vero virgini, num viveret etiamnunc Achilles, Tethyos filius, is nuntiat illum periisse, qui non sua, sed aliorum utilitate uxorem duxerit. Graece :

Οὐκ ἔστιν· ἄλλως λέκτρ' ἔγημ' ἐν Αὐλίδι [2].

Cui Iphigenia :

Δόλια γάρ, ὡς ἴσασιν οἱ πεπονθότες [3].

Re vera de se ipsa facit mentionem, Graecorum consuetudine, qui, cum mulier de se, plurali numero usa loquebatur, masculinum genus usurpabat. Ea vero est Euripidis ratio, ut ex eodem genere hos omnes designari Orestes colligat, scilicet in primis, patrem, matrem ac sororem, quibus istae nuptiae summo fuissent dolori.

Haud multo post Pylades puellam monet, fore ut epistula, quam in

1. *Iphig. Taur.*, 515.
2. *Ibidem*, 538.
3. *Ibidem*, 539.

Graeciam deferre jubetur, in via fortasse excidat. Tum vult illa profiteri quid intus scriptum sit. Neminem, ut opinor, fugiebat artificium, quo tam callide poeta usus est, ut alter ab altera agnosceretur. Pyladi igitur assentiebantur omnes, cum rem his verbis probaret :

Καλῶς ἔλεξας τῶν τε σῶν ἐμοῦ θ' ὕπερ [1].

Audita igitur tota epistula, Pylades exsultans quod tam facile mandata exsequi possit, amico, nomine eum appellans, reddit litteras. Ille accipit, perfususque gaudio amplecti vult sororem : quae stupens, retro cedit, dubitans, mirans, documenta requirens. Quae ille cum minime dubia memoravit, tum demum amplectitur soror fratrem. Monente vero Pylade, tempus esse curare ut e barbaris salvi evadant, fugam omnes quaerunt. In hac necesse est, ope omni deficiente, viam fraudis ineant, et ambages exquirant, quas sola Iphigenia excogitat. Saepissime enim noster, ut jam diximus, mulieres viris callidiores esse in fabulis effinxit. Licet Helenam commemorare, quae ipsa molitur insidias et fugiendi rationem, cum nihil viro succurrat. In dolis quidem, quos in hac tragoedia puella comparat, multa sane improbare possis, cum sint quasi pueriles, ut vix credatur eos bene succedere posse. Semper autem meminisse debet, cui cupido incessit, de antiquioribus recte judicandi, eos inani absurde fictarum narratiuncularum profluentia nondum obrutos esse, quae, si taedium magnum secum adduxerunt, saltem acuendis recentiorum ingeniis non fuerunt inutiles. Sic multa eis probata sunt, quae a nobis non sine humerorum allevatione exciperentur. Satis erit Ulixem memorare, qui sub ventre arietis conditus e Cyclopis manibus evasit [2]. Aries tamen pueri corpus vix tegeret, nedum vir statura haud mediocri, ut Ulixes erat, sub alvo dissimularetur. Nemo tamen fuit, nisi fallor, apud antiquos, qui rem fide majorem esse arbitraretur.

Hoc igitur, quodcumque est, fugiendi consilio invento, rem aggrediuntur personae, ubi secundum στάσιμον cani desitum est. Thoas, regionis rex, chori principem interrogat, num sacrificium sit perfectum. Is vero, qui partes Iphigeniae tuetur, e Graecia ortus, regi nihil respondet, sed Agamemnonis filiam appropinquare nuntiat, in brachiis deae signum gerentem. Alium igitur in eo loco scripsit Euripides dialogum, in quo unus et alter actor uno tantum versu inter se colloquerentur. Differt vero haec στιχομυθία ex aliis, quod, celeritate crescente, ex iambicis trimetris ad tetrametros trochaïcos transeunt, quorum dimidiam partem alter post alterum recitat. Diverbium totum in trochaicam Iphigeniae orationem excidit.

1. *Iphigenia Taurica*, 766. In libris legitur : τῶν θεῶν ἐμοῦ θ' ὕπερ, quod jure correxit M. Haupt.
2. *Odyss.*, IX, 431 sqq.

In his autem tragoediarum partibus jam diximus Euripidem ambiguitatem frequenter adhibuisse. Nam Iphigeniam regem celare oportet se, fratrem et amicum e regno ejus evadere velle. Si quidem in incepto perficiendo hoc tantum quod verisimile est poeta expressisset, nusquam in verbis puellae invenires, quod artificiose esset dictum. Dedit autem operam noster, quo magis theatri exspectationem in exitu rerum scenicarum attentam occuparet, ut partim mendaciis veritatem virgo adulteraret, partim contra, ambagibus usa, eandem obtegeret, quam rex, modo si animo perspicacior esset, haud aegre assequeretur. Ut vero in *Helena*, Theoclymenos, Aegyptiorum rex, ita rex Taurorum, Thoas, in *Iphigenia*, ingenii dotibus minime exsplendescit. Quod quidem cum more scriptoris congruit, qui, quotiens barbarum principem in fabularum personis immiscuit, ei deteriorem imposuit indolem.

Nam, cum ille ab Iphigenia quaesivit, quomodo scelus cognoverit, quod in se amici ambo concepissent, respondet se eos ita interrogavisse, ut rem confiteri debuerint. Spectatores vero nondum obliti quae fuisset interrogatio illa, certe non poterant sine risu hanc approbationem audire, quam puellae dabat :

Σοφήν σ' ἔθρεψεν Ἑλλάς, ὡς ᾔσθου καλῶς [1].

Vocabulo σοφός usus, quod tot et tam diversas significationes amplectitur, virgini gratias agebat, quod sagaciter captivos sceleris convicisset, cum idem transferre liceret in calliditatem, qua Orestis soror consilia celaret.

Haec autem profitetur se maris aqua captivos lustraturam. Cui, consilio audito, assentitur Thoas, quod deae Artemidi hostias sit mactatura puriores. Tum illa cautissime :

Καὶ τἀμά γ' οὕτω μᾶλλον ἂν καλῶς ἔχοι [2].

Rex arbitratur pronomine τἀμά virginis munus designari, cum de fuga ipsa loquitur. Adjungitur vero huic pronomini particula γέ, qua vidimus vocabulorum significationem fieri expressiorem. Dicit enim antistita non tantum aliud sibi atque regi expedire, sed etiam suam utilitatem esse contrariam.

In sequenti versu rectissime judicavit H. Weilius Thoanta eam interrogare, num ad promontorium e scena ipsa prospectum captivos vellet ducere[3]. Cui respondet virgo plures in eo loco adesse, quam ut fiat lustratio. Deinde talia addit :

..... καὶ γὰρ ἄλλα δράσομεν [4].

1. *Iphig. Taur.*, 1180.
2. *Ibidem*, 1195.
3. *Ibidem*, 1042.
4. *Ibidem*, 1197.

Rursus fugae alludit, cui faciendae multi spectatores vehementer nocerent. Tantum vero abest, ut is, quid sibi velit, intellegat, ut contra licentiam ei permittat Graecos homines ducendi, quo placeat :

> Ἄγ' ἔνθα χρῄζεις [1].

Ad finem hujusce scenae, non magis Euripides barbaro pepercit. Cujus tanta quidem stultitia est, ut sibi eam consulere existimet, quae contra maximum parat detrimentum. Tum illa tantam experta stupiditatem, non dubitat suae ipsius perfidiae alludere, quemquam negans esse apud Graecos cui fiducia jure habeatur :

> Πιστὸν Ἑλλὰς οἶδεν οὐδέν [2].

Id quidem non sentit malitiose dici : immo credit eam civitatis commodis inservire, nam fatetur illa se amicorum utilitatibus favere, quibus prae ceteris consulere debeat :

> Καὶ φίλων γ' οὓς δεῖ μάλιστα [3]....

Nemo non videt, quo verba tendant. Forsitan scriptorem reprehendere licet, quod modum excesserit, cum regem respondere ea stupiditate, qua major nulla est, voluerit :

> .... τοῦτ' ἔλεξας εἰς ἐμέ.

Denique in tetrametris :

> Ὦ Διὸς Λητοῦς τ' ἄνασσα παρθέν', ἢν νίψω φόνον
> τῶνδε καὶ θύσωμεν οὗ χρή, καθαρὸν οἰκήσεις δόμον,
> εὐτυχεῖς δ' ἡμεῖς ἐσόμεθα. Τἄλλα δ' οὐ λέγουσ', ὅμως
> τοῖς τὰ πλεῖον' εἰδόσιν θεοῖς σοί τε σημαίνω, θεά [4],

quos eam edidisse, Thoante praesente, arbitramur, omnes discernebant quam regionem his vocibus οὗ χρή designaret, ubi, Apolline jubente, esset sacrificandum; sic puram illam domum, quam dicit, colligebant Athenienses suam esse urbem, in quam Artemidis signum Orestes ac Pylades deferre debebant, dum felicitatem, quam sibi suisque praestabat, sentiebant esse eam, quam ipsa fraterque, cessantibus aerumnis, domi essent habituri. In fine vero actus, quid cogitaret, magnopere dissimulabat, personarum tragicarum consuetudinem assecuta cum preces emittebant, quas nemo in scena intellegere deberet [5]. Sic facilius fabulas ad exitum poetae perducebant. Ceterum

1. *Iphig. Taur.*, 1198.
2. *Ibidem*, 1205.
3. *Ibidem*, 1213.
4. *Ibidem*, 1230-3.
5. Licet conferas versus *Agamemnonis* notissimos, quos in mea gallica thesi, p. 181, laudavi.

nesciebant Athenienses num dea Iphigeniae votum esset exauditura, necne; quae mentis dubitatio prae ceteris animi affectibus a spectatoribus tragoediarum requiritur.

CAPUT XIV. — DE PHOENISSIS.

Magis in *Phoenissis* deprecationes, facinora, querelas Euripides de industria accumulavit, quam ut nobis multum materiae fabula suppeditet. Attamen in versu 910 ambiguitatem noster consilio adhibuit. Nam postquam Tiresias Eteoclem ac Polynicem monuit inter se occisuros, sortem Thebarum dolet, quanquam spem salutis objicit. Qua vero ratione urbs e tanto periculo evadere possit, statim non refert, adstante Menoeceo, Creontis filio. Athenienses vero sciebant adolescentis sanguinem calamitatibus civitatis finem esse impositurum. Vates igitur, priusquam nomen victimae, patre orante, proferat, hunc ipsum adolescentem discedere jubet. Creon autem ei non assentitur. Tum Tiresias : « Visne, inquit, eo praesente loquar? » Cui pater : « Volo : laetabitur enim cum audiverit quomodo urbs salva esse possit. »

Κλύων γὰρ ἂν τέρποιτο τῆς σωτηρίας [1].

Ne suspicatur quidem infelix quam arte cum futuro rerum habitu talia verba congruant. Non tantum enim filius in altera tragoediae parte morti occumbit, sed etiam patriae salutem, sponte, nullo cogente, laetus vitae suae praeponit, quicquid molitur pater, ut salvus evadat, neve diis mactetur.

CAPUT XV. — DE ORESTE.

Opus, quod personarum dolis, insidiis, mendaciis insignitur, facillime credas hoc genere elocutionis redundare, quod investigare instituimus, cum prope nullum locum praebeat nobis explanandum.

1. *Phoen.*, 910.

Nam pars hujusce fabulae prior, quam non sine maxima laude Euripides scripsit, indole ac natura huic styli artificio repugnabat, dum alteram tanta festinatione composuisse videtur, ut cum libenter credideris dicendi arte abstinuisse, quae majoris esset difficultatis et otii.

His dictis, scenam aggredior, in qua Hermiona, Helenae filia, in aedes ingreditur, ut e matre Oresti et Electrae vitam salvam impetret, dum contra in insidias delapsura est, quas Orestes ac socius comparaverunt. Nam Electra prius fratri et Pyladi persuasit, ut ea obside uterentur, ne Menelaus, Helena occisa, poenam ab eis repeteret. Itaque cum limen regiae subit, sic Electra perfide eloquitur :

> Ἴθ' εἰς ἀγῶνα δεῦρ', ἐγὼ δ' ἡγήσομαι·
> σωτηρίας γὰρ τέρμ' ἔχεις ἡμῖν μόνη [1].

Existimat Hermiona precibus alludi, quibus, ut incolumi liceat Oresti abire, cum matre decertatura sit, ut rem ipse Euripides expressit. Quantus vero sit ejus error, e sequentibus rebus haud multo post demonstratur.

CAPUT XVI. — DE IPHIGENIA IN AULIDE.

Scimus *Iphigeniam* eodem anno, quo *Bacchae*, doctam, in scenam, Euripide mortuo, demum prolatam esse. Quam recentiores critici inter perfectissimas nostri poetae tragoedias ponunt, eaque opinio cum veterum opinione congruere videtur.

Argumentum notissimum. Nam Graecorum classis, vento deficiente, Aulide detenta solvi nequit, nisi Iphigenia, Agamemnonis ac Clytaemnestrae filia, auctore Calchante, immolata erit. Pater vero, cum primum, Menelao instante, caedi filiae annuisset, conjugi suae per litteras, hymenaeo Iphigeniae cum Achille prolato, mandavit, ut eam ad castra mitteret. Mox autem epistulae hujus eum paenituit, ita ut, prima luce in scenam inductus, jubeat fidum senem Argos proficisci, ne mater natam Aulidem adducat.

Accidit vero ut seni Menelaus obvius esset, qui vi tabulas aufert. Tunc rixae tumultu audito, Agamemno e tentorio egressus, fratri aperte declarat, se jam filiam mactare nolle. Sed eo ipso temporis momento adest nuntius, Clytaemnestram cum Iphigenia ad nuptias celebrandas advenire referens.

1. *Or.*, 1342, 3.

Stant igitur in proscenio Menelaus, Agamemno et nuntius. Primus minimam in se attentionem convertit, maximam autem ceteri. Nuntius vero, qui nescit, quid rex vere sentiat, eum arbitratur filiam accivisse, quae Achilli nuberet. Curavit enim Euripides ut moneret ex omnibus Graecis Calchantem, Ulixem et Menelaum solum conscios esse, hunc hymenaeum falsam esse speciem.

In eo loco exempla proferri possent, quibus aperte doceretur, quomodo inter se differant ironia tragica et ambiguitas. Ironiam enim jure dicas esse adhibitam, quotiens persona quaelibet omnia contra, ac dicit, diceret, modo si introspiceret reconditos ejus sensus, quocum rem agit.

Inde cum nuntius ait : « Filiam, o rex, tibi adduco : laetare, » constat ironice dici : ὥστε τερφθείης ἰδών [1]. Non enim gaudium, sed contra dolorem maximum pater in animo concipit. Ille igitur errat; spectatoribus vero nihil erat dubii, quin prave judicaret, cum ejus dictis unam significationem, rebus ipsis maxime contrariam, subjici pateret.

Contra versus 424 :

> Ἐγὼ δὲ πρόδρομος σῆς παρασκευῆς χάριν
> ἥκω,

ambiguus est. Nam cum ait se praecurrisse, ut Agamemnoni tempus esset hospitium parandi, quo mater et filia dignae essent, spectatores contra intellegere poterant, eum celeritatem adhibuisse, ut pater omnia quae sacrificio necessaria essent, compararet.

Addit idem, quod molestissimum regi erat, militum turbam circumfusam contueri virginem, alium ex alio causam adventus rogare. Dictitant enim inter se :

> ... Ὑμέναιός τις ἢ τί πράσσεται;
> ἢ πόθον ἔχων θυγατρὸς Ἀγαμέμνων ἄναξ
> ἐκόμισε παῖδα [2];

Pro manifesto habemus e vocabulo ὑμέναιος satis aperte expressum quid sibi vellent Graeci. Verba vero τί πράσσεται poeta haud imprudenter posuit, ut ex incerto eorum sensu rex ipse animo angeretur [3].

Versibus vero 433,34 :

> Ἀρτέμιδι προτελίζουσι τὴν νεάνιδα
> Αὐλίδος ἀνάσσῃ,

curae pretium est attentius mentem applicare ; nescimus enim num

1. *Iphig. in Aul.*, 418.
2. *Ibidem*, 430-2.
3. De hoc quod sequitur : « Num desiderio filiae affectus rex Agamemno filiam arcessivit, » idem jure dixeris, cum non praefiniatur propter quam causam is παιδὸς πόθον ἔσχεν.

unquam invenerimus, qui eos recte et absolute, nostro quidem judicio, explanaverint.

Refert enim actor milites, quibus insolitum esse videbatur ingenuam virginem in castris adesse, existimare eam a rege evocatam, ut hoc fieret, quod προτελίζειν diceretur. Constat vero vim vocabuli fuisse duplicem.

Unam docet Pollux[1]. Patri enim mos erat, priusquam filiam viro collocaret, Junoni vel Dianae sacrificare; tum nupta virgo deae cincinnum offerebat, quod προτελίζειν vocabatur. Is est unus vocis sensus, quem vult nuntius significari.

Alterum vero non discernit, funestum quidem et infelicem. Si quis enim piacularem hostiam caederet, ut veniam vel auxilium a diis peteret, hoc agebat, quod apud Graecos προτελίζειν nominabatur. Quis autem non sentit hoc jure de Agamemnone dici, cum filiam ipse diis mactaturus sit, ut naves Graecorum e litore solvantur?

Eandem dicendi artem poeta haud multo post scite usurpavit: scripsit enim :

....Τίς νιν ἄξεταί ποτε;
ἀλλ' εἶα, τἀπὶ τοισίδ' ἐξάρχου κανᾶ,
στεφανοῦσθε κρᾶτα[2].

Existimare licet Euripidem verba τίς νιν ἄξεταί ποτε in eo consilio posuisse, ut simul is ipse signaretur, quocum ad supplicium esset itura, ut testatur ipsa :

Τίς μ' εἶσιν ἄξων[3]....

Quod ad corbes spectat, quae ad προτέλεια celebranda necessariae erant, satis sit monere earum mentionem redintegrari, quando narratur qua ratione mactata sit puella. Quin etiam verba στεφανοῦσθε κρᾶτα non sine quodam artificio in eo loco subjecta sunt. Hortatur enim nuntius ut Atridae sibi coronam imponant, ita vero sententiam informavit, ut hoc non minus puellae immolandae suaderetur. Sic enim volet frontem corona cingi virgo, cum ad aram incedet :

Στέφεα περίβολα δίδοτε, φέρε-
τε· πλόκαμος ὅδε καταστέφειν...[4].

Denique omnes qui adsunt, jubet servus laeto esse animo. Quod idem rursus imperat Iphigenia, ubi sponte moriendi consilium iniit, cum, sanguine effuso prohibitura sit, quominus Graecorum mulieres unquam a barbaris violentur[5].

1. *Onomasticon*, III, 38.
2. *Iphig. in Aul.*, 434-6.
3. *Ibidem*, 1459.
4. *Ibidem*, 1477-8.
5. *Ibidem*, 1467 sqq

Postquam e theatro exivit servus, rex sincere et simpliciter cum fratre colloquitur. Tum Menelaus Agememnonis lacrimis commovetur, et a consilio repente desistens, hortatur ipse patrem, ut e morte natam eripiat. Fatetur vero ille, cum jam Calchanti et Ulixi notum sit Iphigeniae sanguinem a diis requiri, si noluerit eam mactandam praebere, jussis deorum in turba militum pervulgatis, se eam invitum esse immolaturum, cum jam in castris ipsa adsit. Sic Menelai voluntas serius est commutata. Quamobrem id tantum assequi conatur pater, ut matris querelas a se avertat : primum igitur vetat chorum consilia in medio proferre.

Inde in secundo ἐπεισοδίῳ, cum Clytaemnestra, Iphigenia Orestesque parvulus, carpento vecti, venerunt, matrem ac filiam sic chori princeps valere jubet, ut quod eis immineat, suspicari nequeant. Continuo ei de faustis verbis regina gratias agit. Vox vero ex ore ejus excidit, quae propter versum quendam prius ab actore editum, ominosa, nisi fallor, putanda est. Nam cum ait :

Ἐλπίδα δ' ἔχω τιν' ὡς ἐπ' ἐσθλοῖσιν γάμοις
πάρειμι νυμφαγωγός [1],

ab Achille ductum iri filiam arbitratur, sed cum de eadem jam dixerit Agamemno :

Ἅιδης νιν ὡς ἔοικε νυμφεύσει τάχα [2],

sic mater inscia de funebribus nuptiis loquitur, quas constat inclytas fore, cum earum fama nunquam evanuerit.

Versus 629 et 632 praetereo, qui tantum ironice proferuntur, ut ad notissimam στιχομυθίαν sine ulla cunctatione transeam, in qua paterque et filia inter se fabulantur.

Ille dolore ac sollicitudine conficitur. Modo enim est confessus natam ab exitio eripi jam non posse. Nunc vero ipsa, eo invito, ad exercitum venit : jam adest festivissima puellarum, laeto vultu, patri confidens, gaudio penitus exsultans, quod eum ex insperato revisit, seque praeclarissimo viro sperat esse ducendam. Voluit enim poeta, illam e matre audire, se nuptiarum causa, ab Agamemnone esse arcessitam : immo sponsi nomen cognoscit : Achilles, Thetidis filius, par diis, conjux destinatur. Pater ergo, cui ex casu male omnia successerunt, quae providerat, ut e morte eam eriperet, victimam adstare conspicit. Itaque eo majore horrore ejus animus perfunditur, quo magis conscius est se suam ipsius filiam, conubio perfide ficto, ad perniciem adduxisse.

Cum res ita se habeant, conjicere licet regem in dialogo verba

1. *Iphig. in Aul.*, 609 sq.
2. *Ibidem*, 461.

ambigua prudenter esse editurum, Iphigeniam contra imprudenter. Nam primum nata genitorem maximo gaudio perfusa, genitorque natam, longe vero aliter affectus, amplectitur. Fatetur enim ille se dubitare, utrum natae profuerit, necne, quod eam ad se vocaverit. Graece :

Οὐκ οἶδ᾽ ὅπως φῶ τοῦτο καὶ μὴ φῶ, τέκνον [1].

Quae vis insit in his verbis, non suspicatur Iphigenia. Itaque eum reprehendit, quod fronte anxia filiam intueatur, si quidem eam animo laeto, ut dixit, reviserit. Cui ille :

Πόλλ᾽ ἀνδρὶ βασιλεῖ καὶ στρατηλάτῃ μέλει [2].

Non videt virgo quid sententia in hac maxime occasione valeat. Ingenue ergo eum hortatur, ut solum de nata cogitet, nedum arbitretur nihil aliud, ut ipse testatur, ei succurrere. Tum ea : « Remitte ergo vultum, inquit, frontemque explica. » Cui pater in hunc modum elocutus, cujus tam multa exempla in hoc libello notavimus :

Ἰδού· γέγηθά σ᾽ ὡς γέγηθ᾽ ὁρῶν, τέκνον [3].

Quod ita Th. Fix vertit : « Ecce jam laetor, utcumque laetor, dum te video, filia. » Sed tanto dolore perturbatur, dum laetum se esse dicit, ut lacrimas diu cohibitas jam non teneat. Illae lacrimae, quas saeculi XVII mores Racinium nostrum rursus producere vetuerunt, sollicitudinem Iphigeniae afferunt. Causam igitur quaerit, cur ita flexerit vultum. Rex vero, animi firmitate mox recuperata, sic respondet, ut veritatem neque confiteatur, neque dissimulet :

Μακρὰ γὰρ ἡμῖν ἡ πιοῦσ᾽ ἀπουσία [4].

Trimeter vero qui sequitur in libris, claudicat. Legitur enim :

Οὐκ οἶδ᾽ ὅ τι φῄς, οὐκ οἶδα, φίλτατ᾽ ἐμοὶ πάτερ [5].

Ex omnibus emendationibus quas recentiores in eo loco proposuerunt, H. Weilius optimam, nisi fallor, invenit. Scripsit enim :

Οὐκ οἶδά θ᾽ ὅ τι φῄς, κοἶδα, φίλτατ᾽ ὦ πάτερ.

Correctione recepta, non dubito quin versus vel difficillimis probetur. Modo enim duxit Iphigenia patrem vitae mentionem facere, quae post nuptias esset ductura. Nos vero scimus in animo regis longe

1. *Iphig. in Aul.*, 643.
2. *Ibidem*, 645.
3. *Ibidem*, 649.
4. *Ibidem*, 651.
5. *Ibidem*, 652.

aliam sententiam fuisse. Tanta autem peritia et arte editor usus est, ut quod respondere debebat virgo, et quod ipsi spectatores respondissent, in eodem versu contineatur. Dicit enim Iphigenia, quam decet genitoris consilium ignorare, etsi illud non ignorat, se nescire, quanquam non nescit, quid sibi voluerit. Eisdem vero verbis, cum sit Agamemnonis sententia ipsa anceps, significatur etiam puellam unum quidem trimetri 651 sensum non discrevisse, dum alterum penitus intellexit : οὐκ οἶδέ τε καὶ οἶδεν.

Pater, qui in hoc filiae responso magis expressam esse veritatem existimat, quam ipsa arbitratur, declarat eam eo majorem in se miserationem commovisse quo prudentius locuta est :

Συνετὰ λέγουσα μᾶλλον εἰς οἶκτόν μ' ἄγεις [1].

Cui candide nata :

Ἀσύνετα νῦν ἐροῦμεν, εἴ σέ γ' εὐφρανῶ [2].

Haud aegre concedes hujuscemodi dialogum eum esse, qui non sine maxima difficultate ab Euripide produceretur. Artem enim tragicam oportet in mentibus voluptatem afferre, nullumque laborem requirere, nam haud multum fabula probatur, quotiens nimis animos contendit. Fuit igitur ad id loci subtilissimo poetae opportunum, spectatorum animos paulisper laxare, quo posthac eum libentius exaudirent.

Ideo finxit Agamemnonem sic natae verbis commotum, ut vix arcanum continuerit[3]. Iphigenia vero, trimetri 651 nuper dicti memor, patrem hortatur, ut domi cum liberis maneat : is autem rem negat fieri posse. Tum subito malorum causam ab origine virgo repetit : bellum et calamitates exsecratur, quas Menelaus e nuptiis concitavit. Rex vero, quem sors natae excruciat, respondet :

Ἄλλους ὀλεῖ πρόσθ' ἁμὲ διολέσαντ' ἔχει [4].

Intellegebant omnes quae pronomine ἄλλους monstraretur. Illa vero queritur, quod diutissime Aulide pater remanserit. Cui ille :

Καὶ νῦν γέ μ' ἴσχει δή τι μὴ στέλλειν στρατόν [5].

In enclitica τι vim totam trimetri posuit, quam explanemus non necesse est. Deinde Paridi, Priami filio, maledicit; sed cum eum filia interrogavit, num diu sit adhuc militiae causa abfuturus,

1. *Iphig. in Aul.*, 653.
2. *Ibidem*, 654.
3. Nam τὸ σιγᾶν οὐ σθένει, quod aversus a filia dicit.
4. *Iphig. in Aul.*, 659.
5. *Ibidem*, 661.

respondet, vel potius hoc ejus responsum in codicibus invenimus :

Εἰς ταὐτόν, ὦ θύγατερ, ἥκεις σῷ πατρί [1].

Trimetro autem una syllaba deest, cum in scansione θύγατερ tantum e brevibus constet. Versus igitur corrigendus. Scripsit quidem G. Hermannus :

Εἰς ταὐτὸν ἡμεῖς σοι, σύ θ' ἥκεις σῷ πατρί.

ubi significatio probabilis nimiam critici commutationem non excusat, quam in media trimetri parte recipere ausus est. Contra Th. Fix proposuit :

Εἰς ταὐτὸν ἥκεις καὶ σύ, θύγατερ, σῷ πατρί,

At enim Porsonni legem violavit? Editor autem ipse tentavit, ut emendationem ab hoc crimine vindicaret. « Longa syllaba finalis, inquit, in quinta anacrusi excusationem ab interpunctione accipit. » Addere etiam potuit nonnullos apud Euripidem trimetros inveniri, ubi poeta Atheniensis regulam illam neglegere non dubitaverit [2].

Haud scimus igitur an Euripidis consuetudinem in legem recentiores converterint, ut versus ejus correxerint, quos ipse probavisset. Cavendum est enim ne in his metricis rebus, quas valde ignoramus, simus antiquioribus ipsis difficiliores. Nam hanc legem, quam instituit Britannicus metricus, constat comicos neglexisse omnes; quis vero unquam in tragoedia propius Euripide comoediam est insecutus? Absit tamen ut contendamus hujusce modi trimetros in operibus poetae nostri abundare, cum contra rarissimos esse omnes confiteantur; non tamen hoc eo valet, ut prorsus e tragoedia, nisi fallor, expellantur, neve, cum sint paucissimi, recentioribus liceat eorum exemplo uti, quo plures fiant.

Inde, quandoquidem haec correctio habet quod offendat, H. Weilio improbata est, qui scripsit :

Εἰς ταὐτὸν αὖθις, ὦ θύγατερ, ἥξεις πατρί.

Sensus clarissimus. Consolaturus enim pater natam, ita tectis verbis loquitur, ut intellegat se, confecto bello, domi eum revisuram, dum inferis alludit, ubi alter cum altera post mortem conveniet.

Illa vero auguratur Agamemnonem diutissime abfuturum : ideo cupit cum eo in navem conscendere. Cui ille :

Ἔπεστι καὶ σοὶ πλοῦς, ἵνα μνήσει πατρός [3].

1. *Iphig. in Aul.*, 665.
2. Liceat enumerare quos, Nauckiana editione cursim evoluta, notavimus. *Alc.*, 671; *Androm.*, 230; *Ibid.*, 346; *Ibid.*, 875; *Hec.*, 729; *Ip. in Aul.*, 530; *Ion.*, 1; *Herc.*, 1338; *Phoen.*, 747.
3. *Iphig. in Aul.*, 667.

Scilicet navigatio per aquas Stygias, quod virginem praeterit. Itaque: « Mene, inquit, comitabitur mater, an sola ibo? » Cum sola sit moritura, is respondet :

Μόνη, μονωθεῖσ' ἀπὸ πατρὸς καὶ μητέρος[1].

Tunc iterum arbitratur puella eum de itinere loqui, quod cum viro ad novam patriam habitura sit. Itaque :

Οὔ πού μ' ἐς ἄλλα δώματ' οἰκίζεις, πάτερ[2];

Is autem minus ingenua Iphigeniae libertate offensus, quam quod invitus ex hac sola nuptiarum commemoratione perfidiae meminit, qua mactandam filiam in castra arcessivit, acerbissime eam vetat ullam de rebus mentionem facere, quas virginem ignorare deceat.

Jussa regis assecuta, ad alia puella devertit. Exoptat enim patrem, bello ad exitum perducto, mox in Graeciam esse rediturum. Jam vero res in propinquum adducta est discrimen, et augetur continuo cruciatus Agamemnonis. Sic confitetur tristissimus sibi sacrificandum esse, priusquam abeat :

Θῦσαί με θυσίαν πρῶτα δεῖ τιν' ἐνθάδε[3].

Cui filia : « Eia vero, inquit, quod quidem fas est, oportet tecum videamus. »

Ἀλλὰ ξυνούσας χρὴ τό γ' εὐσεβὲς σκοπεῖν[4].

Correctionem damus, quam H. Weilius proposuit. Demonstravit enim vir omnium sagacissimus versum in libris traditum neque rem opportunam indicere, neque ad responsum Agamemnonis apte quadrare. Probabilis igitur emendatio est, ne dicam necessaria. Mirabile tamen est Racinium nostrum, ingenio duce, suspicatum esse quid Euripides scripsisset. Sic enim locum in sua tragoedia vertit :

Verra-t-on à l'autel votre heureuse famille[5]?

nisi tamen hanc sententiam in libris expressam duxerit. Quis vero crediderit virum cum acumine ingenii praestantissimum, tum graecis litteris eruditissimum, in tantum errorem incidisse, cum in eis legamus, quod ita Th. Fix in editione sua latine enuntiaverit : « At cum sacerdotibus oportet sacram rem deliberare. » Graece :

Ἀλλὰ ξὺν ἱεροῖς χρὴ τό γ' εὐσεβὲς σκοπεῖν.

1. *Iphig. in Aul.*, 669.
2. *Ibidem*, 670.
3. *Ibidem*, 673.
4. *Ibidem*, 674.
5. *Iphigénie en Aulide*, v. 577.

Credimus ergo, quod quidem animo plane satisfacit, poetam fecisse ut virgo ad aram cum patre stare vellet. Is enim ait :

Εἴσει σύ· χερνίβων γὰρ ἑστήξεις πέλας [1],

latine : « Omnia videbis, stabis enim prope lavacrum. » Tantum vero abest ut illa regis mentem introspiciat, ut contra ab eo roget, num choros circum altaria ductura sit. Ideo pater filiam, voluntatis ejus ignaram, se ipso feliciorem esse arbitratur.

Quod sequitur, laborat, neque nobis probatur quod G. Hermanno scribere placuit. Contra versus 679-84 plane per se admirabiles, ad rem autem, cui studemus, minime pertinent.

Scenae in medio trimetro 685, praeter consuetudinem tragicorum, Euripides finem fecit, postquam Agamemno Iphigeniam jussit in tentorium redire. Tum demum Clytaemnestra, quae tacere debuit, quandiu diverbium produxerunt, in locum filiae succedit. Paulatim vero, ubi nata abiit, pater fit sui compos, ut consilio mera mendacia matri enarret, haud facile filiae veritatem non confessus.

Primum illam jubet ignoscere lacrimis, quarum sibi timendum erat, ne causam investigaret. Vixdum audito responso, comperit nullam suspicionem ejus animo insinuavisse. Tum de nuptiis celebrandis, de Achillis ortu fabulantur, sed cum mater sciscitatur num filiam vir Phthiam secum sit ducturus, ille ait de Plutone secum locutus :

Κείνῳ μελήσει ταῦτα τῷ κεκτημένῳ [2].

Dein Clytaemnestra quaerit num sacrificia pater confecerit, quae προτέλεια vocarentur. Cui respondet :

Μέλλω' πὶ ταύτῃ καὶ καθέσταμεν τύχῃ [3].

In hoc autem non mentitur, nam cum in ipsius mente tanta fuerit fluctuatio, jure dicit se nondum sacrificium virginis confecisse. Mater vero : « Sed cum προτέλεια celebraveris, inquit, sacrisne nuptialibus operabere? » Tum pater :

Θύσας γε θῦμαθ' ἁμὲ χρὴ θῦσαι θεοῖς [4].

Satis erit emendationem Porsonni commemorare, qui pro ἅ μ' ἐχρῆν scripsit ἁμὲ χρή. Hic enim si usquam sermonis ambiguitate utendum erat.

Nihil aliud ex ea scena referam. Nam postquam Agamemno uxorem jussit de exercitu discedere, ut filias domi relictas curaret, mater

1. *Iphig. in Aul.*, 675.
2. *Ibidem*, 715.
3. *Ibidem*, 719.
4. *Ibidem*, 721.

imperium recusat. Quicquid ergo pater misere machinatus est, male ei successit. Quin etiam hanc dicendi ambiguitatem, quam tam accurate investigavimus, confitetur sibi irritam fuisse :

Σοφίζομαι δὲ κἀπὶ τοῖσι φιλτάτοις
τέχνας πορίζω, πανταχῇ νικώμενος [1].

Hos enim versus arbitramur ad hanc ipsam dicendi artem spectare, qua frustra voluit matrem ac filiam in errorem facilius inducere.

Nunc ad ἔξοδον fabulae venire decet, cum nihil sit in tertio ἐπεισοδίῳ animadversione dignum. Jam vero personarum animus commutatur. Nam senex ille, qui interceptam a Menelao epistulam perferre jussus erat, in quanto periculo Iphigenia versaretur matri nuntiavit, quae, cum chorus tertium στάσιμον caneret, natam docuit morti esse destinatam.

Tum ex aedibus egressa, dum abest Iphigenia, virum uxor opperitur. Rex autem providere nequit, eam scire, quid sit acturus. Primum quidem ait se gaudium capere, quod obvia sola venerit, cum non virginem deceat quid secum cogitet, audire. Cui Clytaemnestra :

Τί δ' ἔστιν, οὗ σοι καιρὸς ἀντιλάζυται [2];

Respondet Agamemno :

Ἔκπεμπε παῖδα δωμάτων πατρὸς μέτα·
ὡς χέρνιβες πάρεισιν ηὐτρεπισμέναι,
προχύται τε βάλλειν πῦρ καθάρσιον χεροῖν [3].

Eventus vero longe alius procedit, quamvis idem artificium, quod prius, adhibeat. Testatur quidem uxor eum callide esse locutum ; nihil vero his variis fallendi artibus decipitur. Nam in scenam paulo post Iphigenia venit, parvulum Orestem peplo involutum ferens. Vix autem ingressa lacrimas profundit. Tum tanti doloris causam rex rogat, cui, pro filia, mater fatetur se omnia quae paraverit cognoscere. Re audita, non potest pater gemitum tenere. Statim vero, mente collecta, respondet :

Τλήμονά γ' ἔλεξας, ὑπονοεῖς θ' ἃ μή σε χρή [4],

latine : « Atrocia dixisti, suspicaris enim quae te non oportet. » Agamemnonis vero simulatio, quam in tota fabula produxit, jam inanis evadit. Libere et ingenue loqui virum mater jubet, et jam nullam in fabula personam invenias, quae, quid ceterae moliantur, nesciat.

1. *Iphig. in Aul.*, 744-45.
2. *Ibidem*, 1109.
3. *Ibidem*, 1110-2.
4. *Ibidem*, 1132.

Unus tamen notandus est versus. Nam cum Clytaemnestra monet se et filias, Iphigenia mactata, Agamemnonem, ut deceat, domi esse recepturas, sic eloquitur :

> ...Σ' ἐγὼ καὶ παῖδες αἱ λελειμμέναι
> δεξόμεθα δέξιν ἥν σε δέξασθαι χρεών [1].

Eandem sententiam consilio Euripides repetivit, ut spectatores recordarentur quam poenam sceleris, quamvis a diis jussi, rex daturus esset. Quo vero pacto ab uxore, confecto bello, exceptus sit, docemur ab Aeschylo in *Agamemnone*.

CAPUT XVII. — DE BACCHIS.

Cum Euripides annum agens septuagesimum quintum apud Archelaum, Macedonum regem, diem supremum obiisset, Athenis paulo post *Bacchae*, ut jam diximus, cum *Iphigenia in Aulide*, a filio doctae sunt. Sic quicquid ingenii laborisque in multis et variis totius vitae operibus hauserat, tragoediis ambabus diversissimis, et iisdem praestantissimis cumulavit.

Baccharum materiem, qua prius in *Pentheo* Aeschylus usus erat, e fabulis Dionysiis identidem sumpsit. Demonstravit enim quomodo Thebanorum rex cultui Bacchi instituendo obstiterit, poenasque dederit gravissimas. Etenim in prologo nuntiat ipse Dionysus quid in fabula sit eventurum, monetque se Bacchis praefuturum esse, si Thebani eas e Cithaerone vi depellere voluerint. Quod consilium capit ad initium primi ἐπεισοδίου Pentheus, quem Tiresias et Cadmus a proposito frustra deterrent.

Illius autem in absolvenda oratione dissentiunt recentiores. Sic enim locum scripsit Wecklenius, Wieselerum secutus :

> Μαίνει γὰρ ὡς ἄλγιστα, κοὔτε φαρμάκοις
> ἄκη λάβοις ἄν, οὔτ' ἄνευ τούτων ἔσει [2].

Vates ergo, auctore germanico critico, cum desint medicamenta regis dementiae, sint contra vitae finem impositura, quam gravissime eum insanire arbitratur. In libris tamen pro ἔσει legitur νοσεῖς, quod

1. *Iphig. in Aul.*, 1181-2.
Bacch., 326, 7.

nullo pacto mutandum est. Non enim licet quicquam in codicibus, cum satisfaciunt, emendare, quo melius satisfacere videantur. Credimus ergo Tiresiam tantum fateri nulla esse medicamenta, quibus Pentheus resipiscere possit, quamvis ex eisdem mente sit alienatus. Nomen enim medicamenti, graece φάρμακον, de rebus quae corporis habitum confirmant, aut vitiant, aeque dicitur. Sic furoris, quo impulsus rex deum vexat, Tiresias contendit esse quandam causam, a se ignoratam. Sciunt vero omnes eum Dionysi irae alludere, nam quos vult perdere Juppiter, dementat. Ceterum verbum νοσεῖς ab omni suspicione vindicant versus 269, 271, 311, 332, 359, 369.

Bacchus autem neque regi, neque choro se deum esse professus, tantum voluit dei propheta, ut sic dixerim, haberi. Hoc quidem aperte declarat, cum tam placide Pentheum in στιχομυθίᾳ secundi ἐπεισοδίου habet ludibrio :

Διόνυσος ἡμᾶς εἰσέβησ' ὁ τοῦ Διός[1].

Inde ei interroganti quaenam esset dei species, ex quo ritus instituendos audiverit, ait formam sibi induisse Bacchum, quam libuerit, et negat se ei quicquam imperavisse[2]. Vim vero asperiorem ac superbiorem hujus trimetri soli experiebantur spectatores, cum soli conscii essent de se deum praesentem loqui. Ceterum curavit auctor ipse, ut in eo loco dicendi artificium quam maxime appareret, rege ipso respondente :

Τοῦτ' αὖ παρωχέτευσας εὖ, κοὐδὲν λέγων[3].

Cui deus, οὐκ ἀγύμναστος λόγων[4], ut ipse Pentheus confitetur, ait :

Δόξει τις ἀμαθεῖ σοφὰ λέγων οὐκ εὖ φρονεῖν[5].

Postquam Agaves filius Dionysum docuit, qua poena eum afficere decreverit, is animo immoto promittit, ubi voluerit, se a deo solutum iri :

Λύσει μ' ὁ δαίμων αὐτός, ὅταν ἔγω θέλω[6].

Immo contendit eundem sic in proximo adesse, ut videat, quid patiatur. Tum rex miratus se deum oculis non cernere, captivum interrogat, ubi sit. Cui ille :

Παρ' ἐμοί· σὺ δ' ἀσεβὴς αὐτὸς ὢν οὐκ εἰσορᾷς[7].

1. *Bacch.*, 466.
2. *Ibidem*, 478.
3. *Ibidem*, 479.
4. *Ibidem*, 491.
5. *Ibidem*, 480.
6. *Ibidem*, 498.
7. *Ibidem*, 502. Item ad finem ejusdem ἐπεισοδίου (v. 518) unam personam designant pronomina ἡμᾶς et ξένον, quod regem praeterit.

Ducit Pentheus eum asseverare sibi proximum stare deum. Constat vero in eadem praepositione vim aliam subjici, quae, quamvis insolenter, a nonnullis tamen scriptoribus usurpata est. Satis erit hoc Philemonis exemplum referre :

Ὁ δὲ τῷ λογισμῷ πάντα παρ' ἑαυτῷ σκοπῶν
τὸ κακὸν ἀφαιρεῖ, τἀγαθὸν δὲ λαμβάνει[1].

Nunc vero versui 506 nonnullam curam impendamus necesse est, quia in editionibus quas recentiores protulerunt, diverse emendatus est. Legimus enim in codicibus :

Οὐκ οἶσθ' ὅτι ζῇς, οὐδ' ὁρᾷς οὔθ' ὅστις εἶ.

Quod in suspicionem undique vocatum est. Hoc enim ὅτι ζῇς vitiosum; praeterea verba quae sequuntur, non minus correctionem desiderant. Itaque trimetrum Wecklenius sic correxit :

Οὐκ οἶσθ' ἀτίζων οὔθ' ὃ δρᾷς οὔθ' ὅστις εἶ.

Fateor quidem hanc emendandi rationem non minus quam significationem hujusce versus mihi magnopere probari, quem latine sic vertere liceat : « Cum mihi insultas, neque quid agas, neque quis sis, vides. » Pentheus enim nescit quid faciat, sive cum homo deo conviciatur, sive cum rex Dionyso se esse potentiorem contendit.

Finito hoc actu, chorus carmen canit, quod sequuntur tetrametri. Redeunt vero actores non multo post ad iambos, quorum versus 803 notandus est. Nam deus pertinacem Penthei animum expertus, Baccharum orgia promittit eum esse visurum, si consilium secuturus sit. Tum rex :

Τί δρῶντα; δουλεύοντα δουλείαις ἐμαῖς;

Non suspicatur infelix se rem multo duriorem experturum. Non enim servis suis inserviet, in insidias Baccharum delapsus, sed etiam supplex matrem orabit et exsecrabit, ne, quidquid peccaverit, interimatur.

Dionysus vero, postquam illam vocem ἆ emisit, qua spectatores monet Penthei res jam non in discrimine esse, sed ad perniciem ruere, eum interrogat, num velit mulieres in monte congregatas conspicere. Hanc habemus primam doli mentionem, quo ad mortem ducendus est. Pentheus autem consilium ait valde sibi probari. Tum deus sciscitatur cur Bacchas tam ardenter visere cupiat. Cui ille :

Λυπρῶς νιν εἰσίδοιμ' ἂν ἐξῳνωμένας[2].

1. Kock, *Comic. attic. fragmenta*, II, pars prior, p. 505.
2. *Bacch.*, 814.

Adverbium vero λυπρῶς tam recte cum verbo εἰσίδοιμ' ἂν satis constat conjungi posse, quam cum participio ἐξῳνωμένας. Sic rex dicit se poenas a Bacchis esse repetiturum, si eas vino inebriatas in monte prospexerit, dum contra spectatores deprehendebant eum inconscia mente supplicio alludere, quo impietatis causa a deo afficiendus esset. Quam ipse Dionysus ambiguitatem produxit respondendo :

Ὅμως δ' ἴδοις ἂν ἡδέως ἅ σοι πικρά[1];

Nunc vero quartum ἐπεισόδιον aggredi licet, quod nostro quidem judicio pulcherrimum fabulae est. Pentheus enim, jubente Baccho, ex aedibus exit, muliebri veste indutus, mente imminuta. Nam solem Thebasque duplices sibi videre videtur. Ideo si deum in eo loco cornigerum esse censet, non necesse est conjiciamus, ut opinor, Dionysum larvam tauri cornibus armatam gessisse. Infelix enim, instinctu quodam motus, jam suspicatur se a deo duci, quem Graeci ταυρόμορφον vocabant. Attamen etsi jam quis et qualis sit, recte auguratus est, non potest e manibus ejus aufugere. Totus enim in dei ditionem redactus est, affirmantis victimam in animo versari, quo debeat. Graece :

....Νῦν ὁρᾷς ἃ χρή σ' ὁρᾶν[2].

Sic eadem contumeliosa crudelitate spectatoribus ostendit, quantae sit amentiae :

...Τὰς δὲ πρὶν φρένας
οὐκ εἶχες ὑγιεῖς, νῦν δ' ἔχεις οἵας σε δεῖ[3].

Tum monet Pentheus, Bacchas ex tuto visendi causa, sese inter pinos esse abditurum. Cui respondet deus pervulgata trimetri conformatione usus :

Κρύψει σὺ κρύψιν ἥν σε κρυφθῆναι χρεών[4].

Tantum vero abest ut is quid sibi instet prospiciat, ut contra viam sibi indicare per urbem deum jubeat. Contra Bacchus :

Μόνος σὺ πόλεως τῆσδ' ὑπερκάμνεις, μόνος[5].

In quo trimetro vis anceps est verbi. Existimat enim rex mentionem fieri de magno incepto, quod instaurat, cum omnes sentiant de morte ejus deum loqui. Patet etiam partem tragoediae, quae sequitur, ambiguitate, quam adaugent versus in duabus partibus divisi, esse refertam. Res vero per se clarior et illustrior est, quam ut explanationem postulet.

1. *Bacch.*, 815.
2. *Ibidem*, 924.
3. *Ibidem*, 947-8.
4. *Ibidem*, 955.
5. *Ibidem*, 963.

CONCLUSIO.

Cum ad finem hujusce longae investigationis pervenerimus, tum quid inde consequatur, ne sit labor irritus, intueri oportet. Primum pro certo ponendum est, si solam ambiguitatem inspexeris, cunctas Euripidis fabulas longe inter se alias ac diversas esse, cum *Andromacham, Heraclidas, Herculem, Supplices, Troadas, Phoenissas, Orestem* demonstraverimus prope ab omni parte hoc artificio styli vacare, dum *Alcestis, Medea, Hippolytus, Hecuba* nonnulla praebent exempla, quae adeo creverunt in *Ione, Electra*, ambabus *Iphigeniis, Bacchis,* ut jure dixeris harum tragoediarum quasdam scenas, quibus majore cura studuimus, prope nihil continere, quod simpliciter sit expressum.

Primae autem, quas nominavimus, ambiguitati adhibendae repugnabant, vel indole ipsa et natura, quas e veterrimis Graecorum annalibus, quasi rerum historicarum scriptor, Euripides deprompsit, vel majore rerum abundantia, quam in eis consilio congessit, ut hanc dicendi subtilitatem admovendi non habuerit licentiam, vel festinatione nimia, qua fortasse scribendo usus est, ut omnia quae redundarent, aut laborem requirerent, circumcidere maluerit.

In secundo autem fabularum genere, personam saepissime invenimus unam, alteri insidias parantem. Tunc eam sic poeta loqui voluit, ut dolos rei conscios spectatores doceret, quamvis altera nihil ex eisdem dictis de fraude suspicaretur. Aeschyli vero *Agamemnonem* et *Philoctetam* Sophoclis si semel studiose evolveris, hanc dupliciter dicendi artem facillime reperies. Oportet igitur concedas illam ambiguitatem ab omnibus tragicis Graecorum poetis sic fuisse usurpatam, quae in ἐπεισοδίοις sparsa, parum repetita, et in tota scena nunquam continuata, ipsos spectatorum animos eo magis commoveret, quo minus ab omnibus exspectaretur.

Contra in ceteris, quarum nullam constat ante 420 esse compositam, a consuetudine tragicorum deflectere Euripides videtur, quod nonnullas fabularum partes sollertissima quadam dicendi ratione refersit, quam personae, haec prudenter, imprudenter illa, utraeque tamen minus natura, quam propria scriptoris voluntate ductae, diutissime producebant. Hoc quidem scimus in perfectissimis Euripidis operibus

deprehendi. Contendere vero non dubitabimus maximum inde periculum tragicae arti fuisse. Nullus enim tam ingeniose scribit, nullus tragoediam natura inaffectatam calamistris inurere studet, ubi eum penitus commoverunt res quas scenae committit. Et spectatoribus haud facile tanta sententiarum concinnitas probatur, quos invasit vel metus, vel misericordia. Graecos sane non ignoramus ad subtilitatem fuisse omnium pronissimos, quam in praestantissimis eorum operibus notare nonnunquam licet. Euripides igitur, quo nemo verius Graecus appellari potest, cives in στιχομυθίαις maxime delectavit, ubi versus ambiguos de industria accumulavit, et quotiens personae, argutissimi omnium homines, in vividis colloquiis trimetros in vicem edebant, quasi pilam arreptam inter se reddidissent.

Recentiores vero in his locis perfectissimam Sophoclis jucunditatem saepius desiderant, et eandem simplicissimam. Inde si contenderis Athenienses in ultima quinti saeculi parte sic argumenta scenica novisse, ut poetae aures eorum prius captare debuerint, quo facilius pectora deinceps commoverent, tibi fatendum erit, nisi fallor, poetam illum, Euripidis aequalem, nunquam pravo vulgi judicio ita indulsisse, qui semper puram et sinceram artem coluerit. Maxime igitur claudicat Euripides, ubi eum cum Sophocle contuleris. Haec enim nonnullis praecipua laus est et virtus, quod idem vitium a difficillimis existimatur, ut propter nimium omnibus placendi studium, quibusdam non placeant.

VIDI AC PERLEGI,

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,

Pridie Nonas Jun., anno MDCCCXCV,

Facultatis Litterarum in Academia
Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR:

Academiae Parisiensis Rector,

GRÉARD.

VERSUUM CATALOGUS AMBIGUORUM.

INDEX.

Burdigalae. — Ex typis G. Gounouilhou, via dicta Guiraude, 11.